



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **S. Francisci Xaverii E Societate Iesv Indiarvm Apostoli Novarvm Epistolarvm Libri Septem**

**Francisco <de Javier>**

**Romæ, 1667**

Liber V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46129)

S. FRANCISCI  
 X A V E R I I  
 E SOCIETATE IESV  
 INDIARVM APOSTOLI  
 NOVARVM EPISTOLARVM.  
 LIBER V.

EPISTOLA PRIMA.

P. IOANNI BEIRÆ SOCIETATIS IESV  
 IN MOLVCIS INSVLIS DEGENTI.

*Gratia & Amor IESV Christi Domini Nostri adstet  
 semper nobis auxilio & favore. Amen.*



**D**E Nostri Fratribus variè per  
 Indiam dispersis, & ubique  
 per Dei Gratiam in propa-  
 gando Christi Regno non  
 inutilem operam navantibus:  
 itemque de ijs qui in Lusitaniã  
 rem gerunt: quo fructu omnes elabo-  
 rent, copiosè vos docebunt qui profici-  
 scun-



scuntur isthuc Patres : quæ mihi fiducia,  
 lucrifacit non parvum laborem scribendi  
 permulta , commodiùs otiosiùsque per no-  
 stros , plenâ instructos talium notitiâ , fa-  
 miliari vobis coràm sermone referenda . de  
 me narro tibi : deliberatum mihi ac planè  
 jam certum est navigare in Iaponiam : quo-  
 niam idoneis autoribus comperi , optimè  
 ad excipiendam cum spe fructûs , Evange-  
 licæ Doctrinæ promulgationem dispositas  
 vidèri gentes illas . Proficiscimur vnâ sex  
 numero , tres Europæi , totidem Iapones.  
 Hi & homines in primis probi , & Chri-  
 stiani sunt perboni . Christi Religionem  
 susceperunt Goæ ; literas nostrates ibidem  
 in Collegio Sanctæ Fidei cum legere tum  
 etiam scribendo formare didicerunt . Men-  
 sem quisque ipsorum integrum Asceticis  
 commentationibus impendit , fructu animi  
 maximo ; quem quotidianis huc usque nec  
 parvis cumulare augmentis pergunt . Inci-  
 tantur omnes ad reditum in patriam desi-  
 derio ingenti communicandi cognatis & fa-  
 miliaribus thesaurum quem invenerunt ; & à  
 vanis superstitionibus abductos Populares, Chri-  
 sto qui lux salusque unica Mundi est, concilian-  
 di . Ajunt cogitare illic aliquos è Potentibus



rerum , destinare legationem ad Regem Lusitaniæ , quâ Sacerdotes promulgatores Legis Christi ad se mitti postulent . Imus universi magnâ gestientes fiduciâ fructus non vulgaris (adjuturâ pro suâ Misericordiâ debiles nostros conatus Dei Domini Nostri Omnipotentiâ ) ex hâc profectioe prodituri . Ego satis jam gnarus quantum in his partibus possit profici ; si ultimas in illas appulsus Insulas , plus illic meritò sperari ex ministerijs nostris operæpretij clarè sensero , evocaturus vos illuc ad mesum , & ad messem uberiozem Operarios tracturus . quare comparate animos , & expédite impetum jam nunc , ut nihil vos teneat quominus visis meis in Iaponem evocantibus literis , sine ullâ cunctatione pareatis . Pater Alfonso ad vos proficiscitur stationem habiturus in Arce Molucensi , concionaturusque illic , cum ad Lusitanos eorumque Servos & Ancillas , tum ad Indigenas Christianos liberos : explicaturusque quotidie Doctrinam Christianam , quomodò ego solebam dum isthic essem ; ac semel quavis Hebdomadâ ad uxores Lusitanorum congregatas , Articulos Symboli & Decalogi præcepta declaraturus ; traditurusque



rusque præterea rationem salubriter frequen-  
tandi Sacramenta Pœnitentiæ & Euchari-  
stiæ . Mihi repetenti memoriâ quæ isthic  
præfens vidi , opportunum videbatur : Patrem  
Alfonsum per annum saltem in Arce Ter-  
natensi commorari ; quin & , si Tibi ex  
usu præfenti rem æstimanti utile apparebit ,  
per spatium etiam longius . nam huic , ut  
dexter & gnavus est , plenè perfuncto mi-  
nisterijs illic necessarijs ad curam anima-  
rum , nec otium , nec industria , nec gra-  
tia videntur defutura , quibus vestra Chri-  
stianorumque , quos varijs per istas Insulas  
stationibus excolitis , negotia rectè transi-  
gat : providens tempestivè ex emporio il-  
lo ea quibus egetis ; ac quoties usus inci-  
derit , vestris Amicorumque vestrorum  
causis Reguli Ternatensis , aut Præfecti Quæ-  
storisve Lusitani , favorem concilians . Ma-  
nuël Morales & Franciscus Gonzalez ad  
Te proficiscuntur ; ibi sub tuo imperio fu-  
turi . Est quod gaudeas cum hos duos ,  
tum Alfonso prius memoratum isthuc  
mitti . Sunt enim omnes ijs præditi doti-  
bus , è quibus multum sperare auxiliij de-  
beas . Expecto à te literas quæ messem  
uberem à te isthic in Ecclesiæ horrea con-



gestam nuncient . & utinam narrarent Regis Filium jam factum Christianum . (nam tale aliquid parare illum cognoveram) de Mauri verò Insulanis , quid docebunt ? num spem ostendi redituros eos ad frugem , & reconciliandos nobis ? de vestris quidem Molucensibus scire cupio eamquam ad credendum Evangelicæ Prædicationi inclinationem aut dispositionem monstrant . E finitimis etiam terris si quid ejus generis lætum ad vos perferetur , eo ne quæso me defraudes . quàm me delectaret si rescirem ex te , pandi ostium Evangelio apud Macasarem , Tollem aut Celebes à Christi Religione videri non abhorrere ? de Regulo certè Molucensi ne omittas indicare , ut se cum Christianis gerit ; eamquid & quantum Ministris Evangelicis & Religionis negotio faveat . cuncta ejusmodi diligenter exequere , ex quibus possit statui quâ proportionem fructus isthic labori respondeat , & an expediat operariorum in istis Tractibus numerum , submissis augere supplementis . Fac etiam per te sciant Romæ Pater Noster Ignatius , Vlyssipone Pater Simon Rodericus , quot apud vos ex Idololatriâ conversi ad Christum sint , quantum

tum



tum Neophyti profecerint, quam in persecutionibus constantiam ostendant: quantâ concionum & Sacramentorum frequentiâ: quo quæstu animarum, quave assiduitate, ac contentione Sacerdotes sacris ministerijs insistant: tum cætera ejus formæ, quibus illic vulgatis ad Deum laudandum provocentur qui audiunt. Sed ad eam scriptiõnem & delectus adhibeatur rerum, omitendis quæ suggillatione aliquorum aut aliâ ingratâ mentione queant offendere, & tota styli ratio ad Ecclesiasticam gravitatem, prudenter accommodetur: ut tales ejusmodi narrationes sint quæ, simul perlatae in Europam fuerint, spargi per manus, & publicis editionibus communicari etiam Exteris possint. nolo enim te fugiat expeti Commentarios illic tales ex tam longinquis partibus, & cupidè per Hispaniam, Italiam, alibique legi. quò magis convenit peculiari à nobis accuratone ac cautione hæc quæ illuc mittimus conscribi, ut quæ in manus non amicorum solùm, sed parùm etiam æquorum, interdum & invidorum infensorumque ventura sunt, omnibus, si fieri potest, satisfaciant, omnes ad Deo & Ecclesiæ Sanctæ gratulandum provocent.



cent : certè nemini offensionis aut sinistrae interpretationis ansam præbeant legitimam. Simili quoque argumento des velim Encyclicas ad cunctos Fratres Nostros per Indiam , quæ illos impertiant faustis nuntijs rerum apud vos ad Dei Gloriam feliciter gestarum . Cum verò usus inciderit postulandi aliquid à Domino Prætorè , aut à Domino Episcopo ; ut id tibi suo inventu conficiat , privatis literis rogabis Antonium Gomezium ; à quo etiam , quod ad victum vestitumque nostrorum tibi erit necessarium , petes . huic quippe mandavi , ut vobis ad talia præstò esset ; ac vitæ subsidia , quibus vos egere significaretis , per navem Goâ Molucum mitti quotannis solitam , rectè isthuc perferenda omnia curaret . Postremò me de cunctis quæ circa labores vestros , circa Prædicationis Evangelicæ successum , circa Disciplinam domesticam , progressumque in virtutibus omnium nostrorum , benè aut secus evenient , certiozem facere curabis , Epistolis minime perfunctorijs , quas uti & superiùs præscriptas omnes ritè obsignatas & inscriptas mittes Malacam ad Patrem Franciscum Perezium , cui præcepi ut frequentibus in illo



illo celebri Emporio navium quoquoque  
 sum solventium opportunitatibus diligenter  
 uteretur ad necessarium gubernationi So-  
 cietatis inter nos commercium fidâ litera-  
 rum transmissione committendum . Si quis  
 Sociorum eam volens culpam conscisceret,  
 ob quàm eijci è Societate mereretur (scis  
 autem talem in primis esse præfractam re-  
 cusationem obedientiæ) huic, juxta ea quæ  
 tibi anno superiori communicavi à me  
 cum Domino Episcopo constituta, impera-  
 bis in virtute Sanctæ Obedientiæ sub pœ-  
 nâ excommunicationis, ut se quamprimùm  
 sistat Domino Episcopo, ejus deinceps ar-  
 bitrio gubernandus, quoniam illum de  
 cætero Societas non agnoscat suum . Hoc  
 sic à me decretum, tibi injunctum esse  
 clarè profiteri singulis nostrorum quos ist-  
 hic habes, ut quisque intelligat quo suo  
 periculo peccaturus sit: nec ullus sibi blan-  
 diatur, quasi utcumque remittat studium  
 adipiscendæ perfectionis, & in obtempe-  
 rando tardus ac perversus sit, nihilò se ta-  
 men minus perseveraturum in Societate  
 certum habeat . Deus nos in suâ Sanctâ  
 Gloriâ conjungat, nam in hac quidem vi-  
 tâ tam diversi peregrinamur, ut occursum  
 ros



ros aliquando invicem, haud verisimiliter appareat. Vale. Malacâ XII. Kal. Iulias Anno CIOIOXLIX.

Venit in mentem vereri, occupationes isthic reputanti tuas, ut tibi satis vacet, quas dixi Patri Magistro Ignatio & Magistro Simoni ac Socijs universis per Indiam, proprièque de vestris necessitatibus Goam, literas scribere. quare quod nunc occurrit ejus operæ tibi compendium suggero. Habebis, ut dictum est, Ternate Alfonsum Nostrum. Ei censeo mitti jubeas è cunctis per Molucenses Insulas stationibus nostrorum, narrationes, utcumque tumultuarias, modo veras & exactas rerum gestarum, quibus exprimatur quæ ministeria nostri Sacerdotes, quâ contentione, quo fructu animarum exercent: an & quas à quibus insectationes patiantur, quâ adversus illas constantiâ, quo victoriæ per Divinum auxilium successu: quinam per illas Gentes habitûs ac dispositiones animorum sint; atque inde quæ spes in posterum. Ex his ille, ut est non modò prudens, sed etiam disertus, idemque stylo ac manu valet, literas formabit vestro omnium nomine in Europam & Indiam  
qua-



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 363

quales illuc mitti expedit : prætereaque  
 vestra domestica negotia partim expediet  
 cum Præfecto Ternatensi, partim per An-  
 tonium Gomezium Goæ conficiet ; unum  
 tibi duntaxat , quem deonerare in alium  
 non potes, reliquum laborem faciens, scri-  
 bendi ad me (quod planè volo & necesse  
 est) de statu , progressu in spiritu , talen-  
 tis , virtutibus , aut imperfectionibus sin-  
 gulorum è nostris qui tuo isthic ductu mi-  
 litant . Occisum te fuisse in Mauricâ, hîc  
 dicitur ; sed sine certo autore . nec nos  
 vano scilicet rumori credimus , speramus-  
 que à Dei Domini Nostri favore te in-  
 multos adhuc annos ad ejus obsequium vi-  
 tam propagaturum . Si tamen contra quàm  
 opinamur aut volumus, de te quidquam aut  
 factum esset aut fieret , tum sanè nostros  
 omnes qui vel in Moluccis jam sunt, vel  
 eò postmodum pervenient , Patri Alfonso  
 parere jubeo . quâ de re mandatum hîc  
 adjungo ritè promulgandum in hæc verba :  
 Pater Riberus & Nicolaus , si Ioannes de  
 Beirâ ex hac vitâ migrasset , obediant Pa-  
 tri Alfonso . Manuël de Morales & Fran-  
 cifce Fernandez qui estis in Molucis Insu-  
 lis , mando vobis in virtute Sanctæ Obe-  
 die-

die-



dientia, ut si Ioannem Beiram mori contigerit, Alfonsum de Castro Superiorem agnoscatis, eique obtemperetis. Si verò, quod potius reor & opto, Ioannes Beira vivat adhuc, ei ut vestro Legitimo Præposito, ambos vos ad nutum obsequi volo & jubeo.

*Franciscus.*

## EPISTOLA II.

PATRIBVS PAVLO CAMERTI ET ANTONIO GOMEZIO SOCIETATIS IESV. GOAM.

*Gratia & Pax Domini Nostri IESV Christi  
sint semper in nostris Anima-  
bus. Amen.*

**A**Dmiratione huc modò appulsum me perculit majori quàm ferè queam verbis exprimere, præsens conspectus Messis ingentis quam ex hâc Civitate Malacensi, velut ex latifundio segetis uberrimæ, Christi horreis infert sudor atque industria unius Coloni Evangelici Patris Francisci Perezij.



rezij . Cunctis diebus Dominicis ac Festis manè concionatur ad Lusitanos in Templo Urbis maximo : Vespere ibidem rudioribus liberis aut servis utriusque sexûs, Articulos sacri Symboli diligenter exponit . Semel per Hebdomadam in Æde sacrâ Divæ Dominæ Nostræ Deiparæ , congregatis magno numero uxoribus , tam Lusitanorum , quàm Indigenarum Christianorum , orationem habet accommodatam ad earum captum ac statum . Præter hæc diebus omninò singulis , in Æde sacrâ Sodalium Misericordiæ tradit atque inculcat laboriosissimè elementa Christianæ Doctrinæ multitudini permagnæ Puerorum . Ultrâ ista quæ sufficere poterant uni homini abundè occupando , Pœnitentium non facilè numerabilium confessiones unus excipit . Ergò hic non deses aut iners in vineâ Domini operarius est ; utique cuius tam indefessam tamque assiduam videmus contentionem , ut cibi somnique capiendi spatio necessario fraudetur . Spero equidem non auditurum illum à Domino illam è Sacrà Parabolâ increpationem : *quid hic statis tota die otiosi ?* quippe quem nullâ ferè diei ac noctis horâ quisquam inveniât non in-

ten-



tentum operi extrahendarum è cœno peccati animarum, & promovendarum ad ritè serviendum Deo Domino Nostro, qui eas condidit. Ad eum è sacro pulpito dicentem tantus concursus fit, ut concionem Templà vastissima non capiant. Idem porò in consuetudine familiari mirabiliter comis atque affabilis, cunctos obvios occurfu primo allicit, populo universo summis æquè ac infimis singulariter gratus, Præfècto juxtà civibusque universis in delicijs est, ac propter insatiabile studium lucrandarum Christo Animarum, viri passim Apostolici, ac Deo in primis chari, existimatione commendatur. Fateor vobis, Fratres mei; puduit me mei cum hæc vidi: & subijcientem oculis quantum opimorum spoliolorum Ecclesiæ Thesauris homo unus imbecillus & continuè semilanguidus, Deo juvante, indefinenter adjungat, sensu quodam verecundiæ me intimè confudit propriæ ignaviæ conscientia. Sic enim habetote: tantam assiduè vim hominum Francisci Perezij privatis aut publicis sermonibus ad vitam serio emendandam excitari, quanta detinere satis occupatos posset sex ipsos beatè exercitatos confessionibus audiendis Sa-

cer-



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 367

cerdotes , totâ die nihil aliud agentes . Et tamen idem vir super hæc omnia in Sodalitio Misericordiæ partes cumulâtè implet omnes Capellani ( ut vocant ) domestici . quod spissum ac multiplex scitis esse ministerium . quid hîc dicam , nisi confitear iterum , pudore non dubio suffundi me oportere , meique similes , qui sani & valentes parùm agimus , interim dum Infirmi ac valetudinarij , tot ereptarum ex orci faucibus prædâ locupletantur animarum . Perezij Socius Rocchus de Oliverâ , non minùs & ipse strenuè atque utiliter operam navat . Scholam regit numerosam Puerorum , quorum alios legere nostrates literas ac manu pingere , alios Grammaticam Latinam docet . idque tam dudùm cepit , ut janu emeriti permulti , percurso Doctrinæ , cujus sunt capaces , orbe , redierint Domum , candore morum , & rectis omnis generis exemplis demonstrantes , non sine gratulatione parentum ac popularium , quanta sit differentia benè institutæ , & incultæ Pueritiæ . legunt illi expedite , ac quantum opus est intelligunt vulgatas summulas Doctrinæ Christianæ , & preces Ecclesiasticas è libro recitant ; modestiâ jam eâ quæ spectan-

ctan-



spectantes ad Deo laudes gratesque reddendas provocet . nam nihilò minus vultu habituque compositi incedunt , quàm isthic Novitij Religiosorum Ordinum . Juramentum aut verbum inconditum , ne levissimum quidem , & ex ijs quibus faciliùs ignoscitur , ex ore ipsorum quisquam audierit . Inter alia multa quæ in hoc genere laudabiliter Rocchus Noster instituit , hoc valdè probatum est : quòd sæpe producit in pompam longã serie dispositos , per binaria sibi altrinsecus respondentia , Discipulos suos , demissis oculis , passu gravi & lento , alternis cantantes Litanias , aut ejusmodi sacra carmina . Expetuntur vulgò hæ visu gratissimæ supplicationes , cohonestandis præsertim funeribus , quoties hîc mori Christianum accidit . Feretrum defuncti adultiores ipsorum humeris subeunt , & usque ad sepulturæ locum portant . nullus non eorum Orationem Dominicam , Salutationem Angelicam , Symbolum Apostolicum , alias aliquot Christianarum precum formulas ad unguem callet , ac è memoriâ quavis occasione reddit inoffensè : nullus non Missæ Sacrificio (cui quotidie summâ reverentiâ omnes interfunt) decorè ministrare novit .



novit . Primo mane ad Scholam conveniunt , sub meridiem post auditam in Templo , quam Perezus quot diebus iterat , explicationem Doctrinæ Christianæ , ludo iterum se reddunt , Oliveræ Magistro daturi operam . Auditâ redditâque lectione , cæterisque perfuncti Scholasticis Exercitijs , omnes simul genibus positis , altâ & consonâ voce , preces sacras pronunciant . Hæc mihi coràm spectanti consolatione incomparabili perfundunt animum . Orate , quæso vos , Deum ut jam parta conservet , benè cepta promoveat , principia incrementis cumulet , ad Laudem & Gloriam sui Sancti Nominis , maiusque obsequium ipsius Divinæ Majestatis . Alfonso in Molucas proficiscitur , unus ibi facturus quod hîc duo jam memorati Perezus & Olivera faciunt . Ægrè quidem hinc eum amoveo , quod , ut satis ex modò dictis confido vos intelligere , pernecessaria hoc loco fuerat ejus opera . Sed cum prævertendum sit quod magis urget ; vos oportet quamprimum supplemento desideratissimo huic opitulari Stationi . Ergò huc mittite sine morâ Sacerdotem è nostris unum , causis conscientiaë dijudicandis tritum , qui

A A

Fran-



Franciscum Perezium tot diversis negotijs oppressum , parte saltem oneris audiendarum quotidie Confessionum levet . non facile alia per Indias Lusitana Colonia plus hac Vrbe Malacâ Confessarijs bonis indiget . Incredibilis quippe huc undique confluit , occasione variâ commercij , multitudo cum Europæorum , tum Indorum ; quorum illi omnes , hi magno numero Christianam profitentes Religionem , opus habent pro humanâ fragilitate remedio Sacramentalis Pœnitentiæ , cuius Ministros nisi nanciscantur opportunè , in maximo & præsentissimo versantur salutis Animarum æternæ discrimine . Itaque si intra hunc annum millesimum quingentesimum , quadragesimum nonum quidam appulerint è Lusitaniâ Sacerdotes Nostri , facile vobis fuerit , quendam è vestris , cuius isthic locum recens appulsi suppleant , Anno sequenti quinquagesimo , nave quæ mense Aprili Goâ Malacam tendit , huc mittere . Mense , inquam , Aprili . nam etsi scio esse aliam Mense Septembri solvere solitam huc Goâ navem ; nolo tamen hoc tam necessarium in hac urbe supplementum in secundam differri navigationem . Videte præterea



terea num Domi fit aliquis Fratrum No-  
 strorum, utcumque Laicus, hactenus tin-  
 ctus literis, ut & legere & formas Elemen-  
 torum pingere calamo, docere pueros  
 queat. Talem magnoperè cuperem ei quem  
 priùs designavi Sacerdoti huc venturo assi-  
 gnari Socium, qui supplere quadamtenus  
 vices posset Rocchi Oliveræ, cui anno se-  
 quenti necessarium Goam iter est, fumen-  
 do ibi Sacerdotio, quo instructus quam-  
 primùm Malacæ se reddat. quare manda-  
 tum hîc relinquo solvens in Iaponiam, ut  
 anno millesimo quingentesimo quinquagesi-  
 mo, navi quæ mense Novembri statum  
 Goam versùs solvendi tempus habet, im-  
 ponatur modò memoratus Rocchus de Oli-  
 verâ, cum Ioanne Bravo Novtio, quem  
 isthic Grammaticæ studijs vâare cupio.  
 Igitur omninò volo, atque adeo vobis,  
 Pater Paule Camers, & Antoni Gomezi,  
 in Virtute Obedentiæ impero, ut Mense  
 Aprili anni proximi, aut si vis improvisa  
 ineluctabiliter obstaret, quo primùm tem-  
 pore fieri poterit, duos quos dixi, Sacer-  
 dotem audiendis confessionibus aptum, &  
 alium è Socijs idoneum Scholæ regendæ,  
 Malacam destinatis. Scribo ad Patrem Nico-  
 laum,



laum , ut præsit invigiletque Nostris Meliapore degentibus , ijs item qui per Oram Comorinensem , quique Colani , morantur . ac pariter Comorinensibus mando , ut Patri Nicolao obtemperent , ad eumque referant de rebus suis , quoties aut pro se subsidio , aut pro Christianis quos curant favore ac patrocinio opus habuerint , scriptis ad illum Colanum , vel Cocinum literis (nam utrò citròque per illas Vrbes negotiorum causâ commeat .) Eidem porrò Patri Nicolao imperavi , ut quæcumque desiderari cognoverit à Comorinensibus , continuo Grâ petat . Te verò Pater Antoni Gomez , volo quæcumque is poscet statim exequi commendoque & injungo quàm possum enixissimè , ne quidquam in eo Tibi ad summam diligentiam & officiosissimam caritatem reliqui facias . Pater Nicolaus subit patri Paulo , prout illi præscriptum inde ibiens reliquisse memini . Alumni Goenses , sive Lusitani , sive Indigenæ , arbitrio Patris Antonij Gomezij regantur . Antonius verò ipse Gomezius , prout mandavi , Patri Paulo Camerti subiectus sit . cui eidem qui Bazaini , quive Armuziæ stationem habent , quatenus jussi & distinctius



cius explicui, obedient. ut res isthic hoc  
Ordine ac Disciplinæ tenore procedant, cu-  
rare impensè vos ambos iubeo, & me de  
cunctis quæ contingent certiore[m] facere.  
Valetè. Malacà x. Kalendis Iulias Anno  
CICIOXLIX.

Vester in Christo intimus Frater.

*Franciscus.*

EPISTOLA III.

PATRIBVS ET FRATRIBVS COLLE-  
GII CONIMBRICENSIS SO-  
CIETATIS IESV.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri  
ad sit semper nobis auxilio &  
favore. Amen.*

**E**T scripsi ego vobis fusè Mense Ianua-  
rio Superiori, & cunctos in his Tra-  
ctibus variè sparsos, è stationibus quemque  
proprijs, prout singulis mandaveram, scri-  
psisse confido, quàm uberes & lætos Ani-  
marum fructus Indica ferat vineâ; &, non

AA 3 in



in regijs modò præfidijs , verumetiam in reliquis oppidis Barbarorum , Sanctissima Christi Fides quàm feliciter adolescat . Iaponicæ in Malacensi Portu navigationis capeffendæ gratiâ profectus huc sum ex Indiâ Mense Aprili , duobus è Societate Nostrâ Comitibus , altero Sacerdote , altero Laico ; itemque Iaponijs Neophytis tribus , quos priùs satis instructos fundamentali mysteriorum Christi Domini Nostri ac Fidei Catholicæ notitiâ , sacro antea lavacro tingendos Goæ curaveram . Inbuti sunt elementis Christianæ Doctrinæ in Nostro Collegio Sanctæ Fidei , ubi & legere nostrates literas , & manu formare didicerunt . Exercitijs quinetiam spiritualibus dederunt menstruam operam , attentione summâ , studioque maximo ex illis proficiendi . nec Deus defuit bonæ ipsorum , quam præparaverat , voluntati . quippe intimis mentes eorum affecit sensibus beneficiorum ingentium , quæ se à liberalissimo sui Creatore accepisse , tum primùm gratè reolebant , flammantes lugentesque priorem suam in ijs agnoscendis cæcitatem . unde in tales exarscebant mutuæ in Deum caritatis , religionis , virtutumque similium affectus  
qua-



qualibus omnes nos qui cum ipsis agebamus, si pariter afficeremur, præclare nobiscum agi putaremus. nunc legendi ac scribendi more nostro peritiâ quam pararunt expeditè utuntur, cognoscendis plerumque scriptis Myſteria Chriſti declarantibus, & Pſalmis ac cæteris Eccleſiaſticis precationibus ſtatâ quot diebus horâ è ſacro libro recitandis. quod agentes cum interrogarem aliquando, quam iſtiusmodi voluminum partem majore animi guſtu è chartâ oculis ſubjectâ pronunciarent; reſponderunt: hiftoriam tormentorum, & necis Chriſti. & fidem dicti facit, quòd eos vidimus non ſolum omnia teneræ commiſerationis ſigna edere ad quamvis fortè oblatam Domini I E S U dolorum ac mortis mentionem aut recordationem, ſed ultrò etiam eò animum referre, ſubindèque recurrere, & eâ conſideratione nunquam non commoveri vehementer. Tempore illius menſtrui, de quo dixi, Goæ ſecefſus, miris illos cœleſtium ſuavitatum perfundi gaudijs, & in dulces ſæpe lachrymas reſolvi videbamus. Ante porrò quàm in eâ commentationum Aſceticarum palæſtrâ exercerentur, pluribus illos menſibus te-



nueramus in memoriâ mandandis Articulis Christianæ Fidei , Mysterijs vitæ Christi ; causâ Incarnationis Filij Dei in utero Mariæ Virginis , ac totâ ratione reparationis humani generis , Domini IESU morte spontè susceptâ perpetrata , mente comprehendendâ . Sæpiùs ex eis percontatus sum , quænam ex omnibus Legis Christianæ Sacramentis , usu ipsis salubriora viderentur ? constanter responderunt , palmam præstantiæ , ob causam utilitatis & universalitatis ad omnes conditionum ac temporum opportunitates extensarum , se duobus maximè tribuere mysterijs , Sacramentalis Pœnitentiæ & perceptionis Christi Corporis in Sacrà Eucharistiâ . Addebant , tam aptè sibi videri cohærere inter se cuncta Religionis Christianæ dogmata , universamque Disciplinam , ut neminem sani iudicij putarent , postquam ea cognovisset , posse non probare . Audivi unum ex ipsis , cui nomen est , Paulo à Sanctâ Fide , cum altè suspirans exclamaret : O vos infelices Iaponiæ Populos , qui creaturas adoratis quas Deus , ut vobis servirent , fecit ! Tum ego illi , quid ita , inquam Paulè , isthuc loqueris ? Ille ad me : miseror ,



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 377

ror nempe , reposuit , Populares meos ,  
 qui Soli ac Lunæ Divinos honores habent ,  
 cum isthæc sidera Ministri sint agnoscen-  
 tium Dominum IESVM , jussu ejus diù no-  
 stræque lucem hominibus præferentia , quâ  
 illi scilicet utantur ad gloriâ intelligen-  
 dam IESV Christi Dei Filij . Sed ut ad  
 iter nostrum revertamur , pervenimus in  
 hanc Civitatem Malacensem Tres è Socie-  
 tate , cum Iaponibus totidem , pridie Kal.  
 Junias hujus Anni MDCLXIX. Occurrerunt  
 exscendentibus consentientia dicta plurimo-  
 rum , mira certatim de spe optimâ succes-  
 sum habituræ in Iaponiâ Prædicationis  
 Evangelicæ nunciantium ; è literis quas  
 monstrabant ab Amicis Lusitanis mercato-  
 ribus illic negotiantibus novissimè acceptas .  
 Horum in unis legebatur ; Dynastam quen-  
 dam in illis Iaponum Insulis sanè opulen-  
 tum ac potentem , cupere Christianum fio-  
 ri . jamque destinasse ad Prætozem Indiæ ,  
 Legatum , qui nomine suo ab illo peteret  
 mitti ad se Doctores Christianæ Religionis  
 à quibus ad Fidem erudiretur . In alijs ad  
 me propriè datis scriptum reperi : Lusita-  
 nis aliquot negotiatoribus , recens appullis  
 in certam Iaponiæ regionem , & hospitium  
 ubi



ubi diversarentur quærentibus, loci Regulæ obtulisse quasdam Ædes idcirco habitatoribus vacuas, quod esset experientia compertum, eas à lemuribus infestari sole-  
re vehementer. Ingressos è Lusitanos, ignaros ejus vitij (nam id Iapones astute dissimulaverant) mirari per noctes aliquot solitos, sibi decumbentibus vestes & lectulorum pallia detrahi, nemine dum circumspicerent apparente. Tandem aliquem ex ipsorum familiam Puerum nocte intempesta viso spectri horrendi consternatum, voce maximam paræ perturbationis indice cunctos excitasse; ita ut ex stratis exilientes, cum armis ad vociferantem accurrerent, quasi vim nocturnam à furibus illatam repulsuri. Sed cum obseratas fores, incolumem ac solum reperissent famulum, ex eo percontatos, cur exclamasset? audisse nihil aliud, nisi visum sibi terrificum oblatum, quod tamen ad Crucis signum à se formatum evanuisse. Hinc deinde idem Puer multas Crucis formas varijs per ædes locis, & ad Ostia conclavium apposuit. Explorabant interim conscij rei Vicini, ut se in infestam Domo advenæ hospites haberent; & videlicet mirabantur, tandiu eos illic innoxie



noxiè degere . Itaque nocturno illo Pueri  
 elamore ac strepitu accurrentium cum ar-  
 mis fortè audito , postridie quærebant ,  
 quam ob causam eâ nocte trepidassent ? Lu-  
 sitanis verò rem uti contigerat referenti-  
 bus , fassos ultrò Iaponas , Ædes illas pri-  
 dem haberi malo quopiam Dæmone in-  
 fessas , etiam rogasse , quoniam hæc pestis  
 frequens esset in illis tractibus , ut si quid  
 contra eam parati remedij afferrent , indi-  
 care aut communicare ne gravarentur . Ad  
 quæ Lusitanis reponentibus : nihil esse si-  
 gno Crucis ad maleficos abigendos Dæmo-  
 nas efficacius ; mox tum experimenti , tum  
 responsi famâ passim latè diditâ , Cruces è  
 chartâ , ligno , aut simili materiâ forma-  
 tas in ferè cunctarum ejus oppidi Domuum  
 ostijs esse conspectas : videlicet Indigenis ,  
 larvarum stygiarum incurfus sæpe pati mo-  
 lestissimos solitis , ostensum contra illas amu-  
 letum cupidè usurpantibus . His adjunge-  
 bant eadem inscriptæ mihi literæ : vide-  
 ri optimè dispositam excipiendæ Prædica-  
 tioni Evangelicæ Gentem illam : quoniam  
 circumspecta sit & prudens , è momentis  
 rationum res æstimans , eademque in pri-  
 mis curiosa cognoscendi quidquid affertur  
 novi.



novi . Quocirca magnam equidem , Divi-  
no fretus auxilio , spem ingredior fructus  
ingentis in aliquibus , & fortè in universis  
extituri Iaponibus ; magnâ vi errantium  
illarum Animarum , ad Ecclesiæ Sanctæ se-  
gremium aggregaturâ ; nisi nostra peccata  
obstiterint , quominus Deus Dominus No-  
ster , nobis suæ gloriæ ministris uti digne-  
tur . Neque his tamen ego tam latis au-  
spicijs in hanc expeditionem vocantibus  
statim parui . multum exinde diuque deli-  
beravi mecum explorans , omnibusque ve-  
stigijs indagans Divinæ circa id signa Vo-  
luntatis . Postquam autem intimis animi li-  
quidò percepi sensibus ; planè Deo cordi  
esse , & ad ejus obsequium expedire , pro-  
fici me in Iaponiam , totus statim in id  
consilium incubui tam irrevocabiliter , ut  
mihi viderer , si à cepto desisterem , ipsis  
quoque Idololatri Iaponibus nequior ac  
detestabilior futurus . Et me in proposito  
confirmat , quòd hostem humani generis  
multa movere video , ut me ab hac cogi-  
tatione dimoveat ; ex quo non obscure sci-  
licet illum apparet , magnam inde rebus  
suis cladem perniciemque formidare . Sed  
quidquid ille tumultuetur ac contra obji-  
ciat ,



ciat, imus tamen inanium securi terriculorum. jamque stamus in procinctu solvendi, convasato instrumento incruenti Sacrificij, quò litandâ primùm illic Sacrà Hostiâ, Christi Regis Nostri nomine terrarum ac Gentium illarum quasi possessionem adeamus. qui primi successus cepto responderint, anno vertente (si Deus dederit) meis inde perlatis ad vos literis plenè cognoscetis. Constitui jam nunc, à primo statim appulsu Regem ipsum totius laponis, ubicumque fuerit, adire; exponereque ipsi quæ mandata ad ipsum habeam summi Gentium omnium Imperatoris Domini Nostri IESV Christi. Audio in comitatu Regis illius magnam semper adesse Literatorum manum, ingenti subnixorum ingenij, doctrinæ, facundiæque fiducia. Horum obstituram nobis eruditionem: Deo fretus, non sanè reformido. nam quid boni scire possunt qui IESVM nesciunt? qui verò nihil omninò aliud nisi Dei Gloriam & Christi manifestationem in salutem Animarum, curamus aut querimus, quid tandem damni aut periculi magnoperè pertimescere debemus? utcumque nos nudos & inermes, inter infestas



stas non Gentis modò feræ , sed Dæmo-  
 num etiam irritatissimorum acies , & tege-  
 re ne lædamur , & adjuvare ut vincamus,  
 Deo , si voluerit , est facile : sin ei aliud  
 placeat , nihil quod ipsi libuerit , ducimus  
 acerbum . In his bellis , etiam cadens ,  
 victor est : si occumbente duntaxat corpo-  
 re , non succumbat animus . una planè  
 quæ per consensum in culpam accipitur ,  
 pertimescenda plaga mentis est . Sed cum  
 Deus Dominus Noster det omnibus gra-  
 tiam sufficientem ad sibi serviendum , ab-  
 stinendumque à peccato , confidimus de  
 Divinâ ejus Misericordiâ tale haudquaquam  
 nobis ab eo auxilium negandum . ac quia  
 totum bonum aut malum nostrum in benè  
 aut malè utendo Dei Gratiâ situm est ,  
 multam collocamus fiduciam , primùm in  
 meritis Sanctæ Matris Ecclesiæ Sponsæ IESV  
 Christi Domini Nostri ; deinde peculiari-  
 ter in meritis omnium qui in IESV Societa-  
 te censentur , ac universorum utriusque  
 Sexûs , quotquot ijs suadentibus aut diri-  
 gentibus Deo serviunt ; ita ut horum si-  
 mul omnium amplectente nos patrocini-  
 o suffragijsque apud Dominum juvantibus , spe-  
 remus nos fideli cooperatione , benè usu-  
 ros



ros offerendâ nobis in tempore Dei Domini Gratiâ . Ingenti solatio nobis est quod Deum scimus, intimorum cordis humani sensuum arbitrum , clarè perspicere, quid cupientes, quid spectantes, quo voto, aut cuius rei desiderio ad iter hoc Iaponiense moveamur . Cum enim nobis simus conscij, nihil planè nos aliud istâ expeditione sequi aut captare, nisi ut animas hominum ad Imaginem Dei Creatas ad sui Conditoris agnitionem perducamus : utque supremus Autor rerum omnium, à creaturis, quas in similitudinem suam condidit, prout dignus est laudetur; postremò, ut imperij Sanctæ Matris Ecclesiæ Sponsæ IESV Christi limites promoveantur, & spatia laxentur; imus alacri vigentes fiduciâ, & velut accepto spei pignore, certâ expectatione præsumere audemus, omninò successuram in lætos exitus hanc Iaponiensem peregrinationem nostram. Adversis porrò minas omnes apparatusque Diaboli, haud dubijs jam quasi clarigationibus bellum acre, quò nos hoc cursu deiciat, denunciatis, duo quædam me sustentant . Prius certa, ut modò dixi, persuasio perspectissimæ Deo rectitudinis  
mea-



meorum in hoc itinere cogitationum : Alterum indubitatiſſima notitia abſolutiſſimi Domini Divinae Voluntatis in res creatas univerſas ; ita ut nulla earum quidquam agere , niſi Deo permittente , queat . quã lege teneri Dæmonas ipſos , nec quantumlibet cupiant , poſſe nocere cuiquam , niſi licentiã ſaviendi à Deo impetratã , in lobi cernitur hiſtoria , cui viro Sacrae Litteræ teſtantur , hoſtem licet immaniſſimum Diabolum ; ne minimum quidem , ſine Dei nutu atque arbitrio , incommodare potuiſſe . Hæc eò diſſero quod exploratiſſimum habetur , hunc quem mox tentare conſtituimus , Malacã in Iaponem trajectum , præſentiſſimis diræ mortis eſſe periculis obnoxium , ob ſævam vim atrocium procellarum & inobſervabiles inſidias latentium ſcopulorum ac Syrtium ; denique ob ſeros incurſus infeſtantium illud mare Piratarum ; quæ discrimina quàm non ex vano timeantur , exemplis naufragiorum & ſervitutum , pro experiri curſum iſtum audientium numero increbeſcentibus , perſpicitur . ut jam tertiam quamque è ſolventibus ex hoc aut finitimo quopiam portu verſus Iaponem navibus , aliquo è tribus

memo-



memoratis exitio absumi, pro re usu com-  
 pertâ, nec ferè humanitùs evitabili vulgò  
 celebretur. Hæc sæpe mihi reputanti ve-  
 niebat in mentem vereri: ne plerique So-  
 cietatis Nostræ pleni literarum homines,  
 ubi has in partes ad Evangelizandum missi,  
 præsens in experimentum venerint gravium  
 laborum ancipitiumque discriminum capitis  
 ac vitæ, qualium aleam ferè quotidie ja-  
 cere, negotij quod tractamus, & rerum  
 ut hîc se habent, conditio subigit: reli-  
 gione quadam animi tangantur, quasi te-  
 meritatis in hoc culpa consciscatur, &  
 quod sacræ literæ vituperant, Deus quo-  
 dammodo tentetur. Sed postquam de re  
 totâ cogitavi otiosius, facilè me revoco,  
 deponoque metum istum omnem; confi-  
 dens, à paternâ Dei Domini Nostri erga  
 Societatem providentiâ suaviter procuratum  
 iri, ut illustria talenta eruditionis & elo-  
 quentiæ, quæ isti ad Societatem attulerint,  
 ita nostris Disciplinis domesticâque institu-  
 tione temperentur, ut semper in potestate  
 sint Divini Spiritûs, ipsos, uti & cætera  
 membra Societatis, animaturi. Quod ni  
 fieret, multum equidem illis metuerem,  
 nec possem animo conquiescere, objectum



continuò mentis oculis circumferens, quod  
 à Beato Patre Nostro Ignatio audisse me  
 recordor: Veros Societatis IESV Filios,  
 multum in eo contentionis ponere debere,  
 ut seipfos vincant, modosque exquirere ex-  
 cutiendi à se terrores formidolosarum re-  
 rum, qui homines impediunt à constituen-  
 dâ in Deo plenâ spe ac totâ fiducia. Esti  
 enim viva fides ac spes eiusmodi, gratui-  
 tum Dei Donum est, quod ille quibus est  
 ipsi libitum tribuit: tamen plerumque id  
 illis indulget, qui sibi acriter ipsis impe-  
 rant; nihilque omittunt quo possint con-  
 sequi plenam affectuum omnium suorum  
 subjunctionem, ex verâ caritate, sub Divini  
 obsequij gloriaeque rationes. Latum est,  
 mihi credite, discrimen inter eos qui Deo  
 fidunt, instructi tamen cunctis rebus ad  
 victum usumque necessarijs: & eos qui idem  
 istud faciunt, in summâ destitutione & ex-  
 tremâ egestate, in quam se ultrò Christi  
 causâ imitandi, conjecerint, vitæ subsidio-  
 rum omnium. Ac quod est inde conse-  
 quens, multum item interest, inter eos  
 qui fidem spem fiduciamque in Deo collo-  
 cant extra mortis pericula; & eos qui Deo  
 fidunt, & in illo sperant, dum spontè ac  
 volen-



volentes, quò ei gratificentur, in discrimina se mortis evidentia obijciunt, horum vitandorum aut adeundorum potestatem & plenum arbitrium habentes. Sanè mihi videtur qui sic elegerit in continuis vitæ periculis vivere, ex mero studio Deo servienti, omni alio respectu aut fine rejecto, brevi tempore sensurus tædium vitæ præsentis, & desiderium mortis, quâ citò transferatur ad vitam meliorem, & regnet cum Deo in Coelis; quando hæc quam vocamus vita, mors potius longa est, & exilium à Gloriâ, quâ ut fruamur, sumus conditi. Dicunt mihi Fratres Nostri ac Socij Iapones qui nobiscum in Iaponiam proficiscuntur, fore ut offendantur qui sacris illic præsumunt, si nos videant carne aut pisce vesci. quare imus certi, quantavis opus fuerit diætæ severitate, talis offensionis occasionem tollere. Ajunt qui illinc veniunt magnam esse ibi multitudinem istius generis hominum quandam Religiosæ Vitæ speciem, ascesi severâ, præferentium. Eisdem confirmant, autoritate pollere ad populum maximâ; ita ut ex horum nutu pendeant summi juxtâ infimique, promptis ad omne mandatum obsequijs. Hæc vobis



refero, ut ex his pro vestrâ prudentiâ æstimetis, quantæ nobis quamque vehementes dimicationes in Iaponiâ paratæ sint, & pro vestrâ caritatē contendatis impetrare nobis à communi Domino, quotidianis vestris Sacrificiis & Orationibus, auxilium necessarium ad tam acres adversarios vincendos. Equidem sic spero: sustentatum illic iri nos meritis & suffragiis omnium Filiorum Sanctæ Societatis IESV. Die Natali Sancti Ioannis Baptistæ hujus Anni MDCLXIX, aut nocte illum diem præcessurâ, soluturos nos ajunt. decretum est cursu recto uti, & per ducentas ferè leucas ex alto spectare famosum Sinarum Regnum, nusquam exscendendo, aut terræ admovendo navem, quoad Iaponem tenuerimus, quod nautæ loquuntur fieri posse die decimo aut quinto decimo consequentis mensis. Id ubi, Deo favente, contigerit, expectate longas meas & plenas literas, quibus vos certiores faciam, de terræ illius situ ac qualitate, de Gentium illam colentium naturâ, indole, moribus, legibus, superstitionibus, erroribus, studiis, Academijs, Doctrinâ, ejusque discendæ exercitijs, ac tradendæ Methodo. Delectavit me

ali-



aliquando Paulus Noster, narrans de quodam Cœnobio suæ Patriæ, ubi Sodales permulti literis dant operam. his aiebat præesse Seniore[m] quendam, excellere Sapientiâ inter omnes visum, qui ad Domesticos idemtidem in unum cœtum coactos verba facit: tum iubet seorsum unumquemque per spatium horæ unius commentari super præscripto argumento, hoc videlicet, aut simili: quid dictura videri posset Anima corpori, in extremo suæ ab illo disjunctionis Articulo? quid cogitatura, cum iam soluta nexu materiæ, Tartari aut purgantium sub terris ignium (nam harum & hî rerum notitiâ sunt perfusi quadam) acres cruciatus experitur? Horâ talibus considerandis impensâ, solere Magistrum illum Discipulos singillatim percontari, quid quisque meditando invenerit: & pro rei merito quam protulerit, laudare plus minusve; vel etiam si parùm memorabile prompterit quidpiam, reprehendere. Addebat Cœnobitas istos perorare ad populum solitos quintodecimo fermè quoque die, audiri que magno concursu Virorum ac Mulierum, parique attentione ac sensu animi; lacrymari quinetiam inter audiendum



dum plerosque non raro, præsertim fœminas : maximè cum , quod sæpe fit , Orator pictam ostentat tormentorum inferni tabulam . Hæc Paulus , quæ coràm spectaverat referens . Quæsi ex illo , num recordaretur alicujus Sententiæ , quam ex hisce concionibus excepisset ? Respondit : affirmasse aliquando quendam ex istis Oratoribus , cui dabat operam : Virum improbum ac Mulierem nequam , peiores Diabolo esse , quoniam quod Diabolus per se non posset , per malos viros & fœminas ageret , ut in furtis , falsis testimonijs , similibusque sceleribus cernitur , quæ Diabolo duntaxat suadente , pravis hominibus exequentibus , fiunt . In eo fermè omnes conveniunt qui de Iaponibus quæ viderunt narrant : esse Gentem cupidissimam sciendi . Ego quæ me usus & experientia præsens de ijs docuerit , copiosè vobis differam . Deus Dominus Noster per suam Infinitam Misericordiam nos in suâ Gloriâ conjungat . nam in hac vitâ haud sanè scio quando aut quâ ratione , conspectum sperare mutuum possimus . Obedientia tamen id efficere posset : nam quæ difficillima videntur , facilè obedientia quando vult , expedit .



dit . Valetē . Malacā x. Kal. Iulias Anno  
CICIDXLIX.

Servus inutilis omnium Fratrum meorum  
Societatis IESV .

*Franciscus .*

EPISTOLA IV.

PATRIBVS PAVLO CAMERTI , AN-  
TONIO GOMEZIO , SOCIE-  
TATIS IESV .  
GOAM.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
adsint semper nobis auxilio &  
favore . Amen .*

**E**X quo scripsi vobis satis fusè , causa  
incidit cur expedire iudicarem conve-  
nire vos iterùm paucis his versibus ; unde  
intelligatis : occurrisse hìc mihi veterem  
Amicum in paucis carum , nomine Chri-  
stophorum Carvallium . Homo est cœlebs ,  
virtutis apprimè studiosus , locuples , ho-  
nestus , optimarum artium & partium .

BB 4 Hunc



Hunc ego, pro studio quod profiteor procurandæ omnium salutis, institi hortari, & per nostram amicitiam, perque Dei Amorem obsecrare, desineret aliquando tumultuosam & defultoriam vitæ vagæ rationem, periculis frequentibus cùm rei familiaris ac capitis, tùm, quod longè pluris interest, æternæ salutis gravissimis expositam. quousque semper peregrinus, ubique hospes, nusquam nisi precariò diversaretur, nunquam in suo quiesceret? nullum colligendi sui, rationesque componendi conscientia vacuum spatium haberet? Ad ea ille ostendit haud se aspernari benevoluntatum monitum: quin & sibi jam subnasci tædium fassus est infiniti erroris. Sat se habitasse in navi, portumque ac stationem tranquilli statûs cum desiderio respicere. Velle denique Domicilium alicubi figere, & quæ multa variâ nec infelici negotiatione comparasset, colligere sub familiare tectum, ubi opes abundè congestas in usus verteret, quos Misericordiâ, Religio, gratusque in largitorem Deum animus, denique conveniens desexæ jam ætati quies, & corporis cura poscerent, dum hoc sermone proveheremur, opportunè recur-



currit animo memoria bonæ illius Matronæ, quam ob maternum in Societatem Nostram affectum quotidianâ officiorum sedulitate testatissimum, Matrem vulgò nostram consuevimus vocare. Ergo Carvallio proposui conjugium cum hujus Filiâ: Puellæ bonam indolem, virtutem ac morum, honestatem ex vero commemorans. Haud surdo cantatum, movit hominem plurimum mea, laudes ac dotes Virginis sine fuce exequentis, oratio. quid multa? promisit se illam conjugem ducturum. nec dubito quin, pro suâ cæterâ veracitate, jureque amicitia, quod sanctè semper mecum coluit, fidem polliciti factò repræsentet, in re præsertim, quam sibi amplam, utilem, honorificam, ad pacem tranquillitatemque vitæ accommodatam planè agnoscit. Itaque non dubitavi totam rem scriptis literis communicare Matri nostræ, uti minimè dubiam, si ipsa annuerit; quod quin sit factura, atque adeò tam splendidam viri probi & divitis affinitatem in felicitatis parte numeratura, nullus dubito. *si* autem ita ut videtis promotura negotium est; quia tamen multa semper executioni destinatorum interveniunt; & faci-

faci-



facile provideo haud in expedito rem ist-  
hic futuram , nisi pro virili adnitamini ;  
Oro vos ambo atque obsecro , ut memores  
prolixi semper in nos animi , quotidianæ  
Liberalitatis , benevolentissimæ Caritatis Ma-  
tris nostræ , sic apud vos statuatis : hanc  
vobis diuinitus offerri pretiosam occasionem  
rependendi tot ejus beneficijs unam qui-  
dem , sed sui momento instar multarum  
habituram , grati nostri vicem ac remune-  
rationem officij . Satagite ergo cum per  
vos ipsi , tum imploratâ atque adhibitâ eô-  
dem Primarij Quæstoris gratiâ & operâ ,  
ne successu tam prosperæ opportunitatis af-  
flicta illa Familia frustretur . efficite , in-  
quam , omni conatu , ut solitudini honora-  
tissimæ Viduæ , orbitati optimæ atque in-  
nocentissimæ Orphanæ , modo isto quem  
Divina utrique consulens Providentia of-  
fert , subveniatur . In adducendo quod erit  
opus Christophoro Carvallio , non puto  
multum vobis operæ futurum . novi ejus  
constantiam & fidem : nec timere possum  
ne dictum revocet , aut præstare abnuat  
quod est mihi pollicitus . Quæstori ut in  
partes atrahatur , sufficet allegare , quod  
verè potestis , dignum esse negotium in  
quo



## NOVARVM EPIST. Lib. 5. 395

quo perficiendo auctoritatem experiatur suam, quippe quod ante omnia Dei Domini Nostri ad laudem obsequiumque pertineat: deinde ex quo Domus ipsius curæ commendatæ, spectatissimæ Foeminæ ipsi propinquæ, Pupillæ Virginis lectissimæ opem ab eo & patrocinium expectantis, status, salus, quietis ac spei rationes universæ pendeant. Confido equidem adjuturum pro suâ bonitate Deum Dominum Nostrum, ut cum hæc illi probo & Sapienti dicetis homini, persuadeatis facilè quod volumus. Iam quoniam probè scitis habere in manu Matrem nostram diploma regium ritè consignatum, quo ei conceditur, ut quam functionem publicam (officium vulgò dicunt) vir ejus Didacus Froëz (cuius anima Dei Gloria fruatur) dum viveret exercuit, eam cum suis omnibus emolumentis transferre in eum possit, cui filiam dare conjugem voluerit, & videlicet hoc ipsum in partem dotis imputare; impetrare oportebit à Prætore, ut id Officium assignari alteri permittat, numeratâ in ejus pretium pecuniâ quæ ad summam dotis Puellæ absolvendam conferatur. causa cur id necesse sit, hæc est: quia Christophorus Carvallius eâ clarita.

rita.



ritate ipsique est opibus, ut infra suam dignitatem existimet eam functione implicari, praesertim cum jam illum, ut dixi, tumultuum & tricarum tadeat, otiumque in conjugio, & à praeteritis laboribus vacationem captet. verebar equidem ne hic nodus esset negotij, non defuturis fortè isthic, qui verbis, prout sonant, diplomatistis haerendum, & pro scripto contra scribentis mentem ac manifestam aequitatem standum contenderent; istaque calumnia, Regis beneficium intercipere, & orbam Virginem cum Matre Vidua fortunis evertere niterentur. Ejus generis si quid intervenerit, agite, oro vos, contra incumbite, conamini, omni contentione certe, per vos ipsi, per Quaestorem, & si cujus alterius favor ad id suffragatioque futura putetur utilis, ut Praetorem, & quorum ea potestas est, Regios Ministros pertrahatis ad benigne interpretandam Regis in hoc privilegio concedendo voluntatem, quis enim non videt id solum spectasse Majestatem ejus, ut Filia Froëzj ex mercede Patri debitam proficeret: nec voluisse, si viro eam desponderi contingeret minus apto ad paternam administrandam

Præ-



## NOVARVM EPIST.Lib.5. 397

Præfecturam, idcirco Pupillam inopen-  
 parte magnâ patrimonij mulctari, obtine-  
 bitis spero equidem, Deo defensore Vidua-  
 rum, & Patre Orphanorum adoperante,  
 causam æquissimam; quam ita vos capesse-  
 re tantaque urgere instantiâ cupio, ut non  
 putem sine flagitio & turpi labe ingrati  
 animi, quæ in Societatem universam foedè  
 redundaret, vos posse in hoc tanto Ma-  
 tris nostræ negotio quidquam industriæ ac  
 diligentia omittre: quoad istas Deo pro-  
 batas confici nuptias, & per has Matro-  
 næ de nobis insigniter meritæ, Virginif-  
 que modestissimæ statui, securitati, digni-  
 tati optimè consuli, perruptis quibuscum-  
 que obstaculis evincatis. Facili & morige-  
 ro ad omnia quæ in rem opus erunt ute-  
 mini Carvallio. nam is præterquam, ut  
 dixi, mihi promisit, & est fidei vir inte-  
 gerrimæ; etiam satis indicavit, plurimi se fa-  
 cere affinitatem istam: atque adeò magnam  
 spem cæteræ quietis, & per quantum vitæ ipsi  
 superest desideratissimæ tranquillitatis, in isto  
 matrimonio constituere. Satis, opinor,  
 vobis & declaravi, & ni fallor, approba-  
 vi votum hoc meum; cujus me factum  
 per vos compotem si vestris literis cogno-  
 vero,



vero , lætissimo me impertitum à vobis nuntio , & magno affectum beneficio putabo . Deus nos in suâ gloriâ conjungat . nam utrùm in hac iterùm vitâ visuri mutuò simus , in ambiguo nunc quidem est . Valete . Malacâ , Pervigilio Natalis Sancti Ioannis Baptistæ AN. CIOIOXLIX.

Vester in Christo Frater .

*Franciscus .*

EPISTOLA V.

*Ioanni Bravio recens in Societatem  
admissò .*

CARISIME Frater : Velim Te singulis diebus hunc Religiosæ vitæ Ordinem constantissimè tenere . Manè enim primùm evigilaveris accinges te ad meditandum aliquòd mysterium vitæ Christi ; incipiendo à Sanctâ ejus Nativitate ; & sic continuâ serie procedendo usque ad ejusdem triumphalem in Cœlos Ascensum . Argumenta meditationum habes ordine digesta in Libro Exercitiorum Spiritualium . Per dimidiâ saltem horæ spatium in hac sacrâ commentatio-



tione versaberis , eâ prorsùs attentione devotioneque animi , cæterisque observationibus ac formulis quibus te meministi Asceticas mensis unius exercitationes obivisse . Procedes diebus singulis ad novam considerationem ; itaut ubi ( exempli causa ) feriâ secundâ Christi Natalem fueris contempletus , feriâ tertiâ Circumcisionem ejusdem consideres : & ita consequenter , quoad mense vertente universis percursis Domini IESV Actis , ad omnium clausulam , gloriosam ipsius Ascensionem pervenias . Hinc porrò revolves iterùm orbem eundem à principio , gradum faciendo ab uno mysterio ad aliud contiguum ; & sic dies mensis instantis per omnia vestigia prioris trahens . In fine cujuslibet horum Exercitiorum renovabis vota quæ semel emisisti ; præsertim tria illa præcipua Castitatis Obedientiæ & Paupertatis . Ea , inquam , iterùm concipies , Deoque offeres , instaurando inflammandoque eodem affectu intimo , quo ea primùm nuncupasti . Hâc iteratione votorum , præter alios fructus , hebetabuntur impetus concupiscentiæ ac stygij hostis ad prava te impellentium . quare nunquam illam omittas , censeo . Post prandium



diurnam & brevem à meridie quietem, repetes meditationem matutinam, in eâque par spatium horæ dimidiæ, idem mysterium expendendo, consumes; adjungendâ similiter ad finem instauratione votorum. Hoc tibi fixum atque immobile in diurnorum actuum varietate duret semper, nec ulla tanti avocatio vel occupatio sit, quæ te prohibeat solidam quot diebus horam Christi Domini Nostri vitæ Sanctissimæ piè recolendæ addicere. in quo, habebit commoditatem hæc quam institui partitio, ut horæ dimidium ex antemeridiano tempore, tantumdem è pomeridiano in id seponas. Expeditum ad hoc fore præ cæteris videtur, id spatium quo, vergente ad vespèram diei Pater, quicum degis, Franciscus Perez Scholam habet Catecheticam. tunc tibi vacabit vespertinæ isti orationi attendere. noctu antequam somno te dedas, voca conscientiam ad calculos, inquirens in cogitata, dicta, facta diei totius, explorans quoque, num quid omiseris quod debuisset à te fieri. Sic cuncta discutens quasi mox Sacramentali Confessione, apud Sacerdotem purgaturus animum, acrem etiam Pœnitentiam perperam actorum aut malè

præ-



prætermifforum, ex causâ Dei, quem sum-  
 mè diligas, offensi concipiens; tum Chri-  
 stum IESVM enixè orans ut ignoscat tibi,  
 emendationemque pollicens, denique reci-  
 tato *Pater & Ave* sic te compones ad quie-  
 tem, ut Divina cogitanti, diemque poste-  
 rum transigere sanctius paranti, sopor ob-  
 repat. Expergiscens postridie, mente con-  
 tinuò sursùm erectâ, dum vestes sumes,  
 dum manus ac faciem lavabis, memoriâ  
 repetitis lucis hesternæ lapsibus, petes à  
 Christo Gratiam eos hodiè vitandi. Inde  
 meditatione matutinâ defungaris, uti pri-  
 diè feceras, atque ad eundem modum re-  
 liqua continenter exequare; in hocque vi-  
 tæ ordine tam constans esto, ut nullo alio  
 quàm valetudinis impedimento, fas tibi pu-  
 tes vel tantulum de illo remittere; ac  
 cujus tandem cumque intervenientis obten-  
 tu causæ, sanus modò ac valens, vel di-  
 stuleris, vel non expleveris præscriptorum  
 quidpiam, Religioni ducas, & culpam in  
 Patrum conventu fatearis, pœnam ultrò  
 infligi postulans negligentia quâ rem tanto  
 tibi opere à tuo Moderatore commendatam  
 vel præterieris, vel perfunctoriè transmisse-  
 ris. De cætero quidquid ages, quocumque



tendes, qualicumque in occupatione vel remissione versaberis, acri semper conatu a rectæ mentis vires totas in tui ubique vincendi contentionem exere, cupiditates frange, à quo sensus abhorrebit amplectere; appetitum in primis innatum laudis & excellentiæ contunde, nihil usquam parcens, quoad superbiâ radicitus evulsâ, infra omnia deprimi te libens sustineas, contemni etiam gaudeas. Ac sic habe: sine istâ demissione, sine hoc in pravos animi motus imperio, nec tibi nec alijs te bonum esse, nec Deo placere, nec in Societate Iesv perseverare posse. Patri cum quo vivis in omnibus obtempera, exequens alacritate summâ quidquid, quantumvis molestum operosumve, mandaverit. nunquam illi obstans, aut contrâ quidquam excipiens qualibet ex causâ. planè sic illum semper audiens, sic ad nutum dirigentis te per omnia inflectens, ut si præsens Pater Ignatius eadem juberet. Quibuscumque cuiusque generis ac modi tentationibus pulsari te senseris, eas statim ingenuissimè universas Moderatori tuo enuncia; unicam eam esse vitandi ne ijs succumbas rationem, certissimè persuasus. præter quam utilitatem  
ineft



ineft etiam magnus animi quaestus ifti per-  
 spicuitati fatendi motus arcanos cordis. ma-  
 gna enim, & magnæ mercedis pignus affe-  
 rens, per eam initur à Deo gratia, pro-  
 pter laboriosam plerumque victoriam natu-  
 ralis pudoris: magna etiam securis infligi-  
 tur spebus & infidiosis machinationibus  
 Hostis Tartarei, cujus præcipua nocendi  
 facultas in latendo sita, exarmatur si per-  
 trahitur in lucem, planèque ipse perversis  
 suis optatis excidens, ijs ipsis, quos ca-  
 ptabat, incolumibus & securis ludibrio est.  
 Vale.

In Cellâ solitariâ Sanctæ Mariæ de  
 Monte prope Malacam, nocte quæ diem  
 præcedit Natali Sancti Ioannis Baptistæ sa-  
 crum An. CXCIX. mox soluturus versùs  
 Iaponem.

Tui amans ex animo.

*Franciscus.*



## EPISTOLA VI.

D. PETRO DE SYLVA PRÆFECTO  
MALACENSI.

**I**N Iaponiam denique non venti magis propitij, Domine, quàm tua nos beneficia perduxerunt. quippe ad fortunandum istum cursum, secundùm Dei Domini Nostri benevolam Providentiam, plurimum (quod gratè fatendum est) valuit tua in nos ad hoc procinctos iter humanissima liberalitas, quâ non solum viaticum amplum, navigium ex præsentì copiam optimum, cunctaque id genus quæ erant ex usu amantissimè providisti, nodos interim omnes & moras negotij, eminente semper autoritatis tuæ favore amputans; sed ad gratiæ cumulum dona præterea multa pretiosaque adiecisti, quibus huius Terræ Principum necessariam nobis benevolentiam pararemus. Cum his salvi atque incolumes, Deo iuvante, XVIII. Kalend. Septembris fausto, & auspicato die; videlicet Assumptæ in Cælum Deiparæ Sacro, ap-  
puli-



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 405

pulimus Cangoximam , Patriam Pauli Sanctæ Fidei ; cuius gratiâ à Præfecto Loci , & Ædile , uniuersoque Populo sanè amanter sumus excepti . Pauli ejusdem fidi nostri comitis statim emicuit Religionis haud fictè susceptæ zelus . Noctes diesque totas Parentibus , Cognatis , Amicis , omnis ætatis , sortis ac generis proponere Christi Doctrinam ac suadere institit , tam efficaciter , vt jam quando hæc scribo , Matrem & Vxorem , Cognatos Cognatasque ac consanguinitatem uniuersam vtriusque sexûs , cæterorumque Amicorum ac veterum Familiarium non exiguum numerum , Christianos effecerit . Est hæc Terra ; quantum hæctenus potui perspicere , ita nunc aptè ac tempestivè disposita ad excipiendos Cœlestis Doctrinæ satus , vt ex eâ , si cultura non desit , uberes iure optimo sperentur fructûs animarum . Natio hæc est hominum in quâ vel plurimum supra perturbationes Ratio valet . Nec quæ peccant plurima contra recti iudicij auctoritatem præscribunt ; errant enim ferè per ignorantiam , ut appareat emendaturos , si doceantur . Itaque imperium Rationi suum mali etiam mores quodam-

Ce 3 modo



modo integrum relinquunt : dum non-  
 palàm contra eius interdictum usurpantur :  
 sed precariò & furtim , ac quasi citra præ-  
 iudicium obrepunt . quare licentia obse-  
 quendi vitijs , nequidquam reclamante Ra-  
 tione , non adèò in hâc Gente usu inva-  
 luit , ut ubi scienter , inverecundâ passim  
 malitiâ , peccatur . Iremus jam nunc Mea-  
 cum , vbi Iaponiæ Imperator & præcipui  
 Gentis Principes degunt , si tempestivitas  
 ventorum ferret . Aiunt , post quinque  
 hinc menses statum expectari Etesiarum eò  
 ferentium exortum . Tunc , si Deus de-  
 derit , illuc navigabimus . quæ multa &  
 mira de illâ Regiâ Iaponiæ Civitate cele-  
 brantur , ijs plenam adiungam fidem , si  
 præsens perspexero . Sex & nonaginta  
 millia Domuum in eâ censeri referunt .  
 Duo Lusitani qui ibi fuerunt , quorum  
 vnus adhuc in Iaponiâ versatur , aiunt si-  
 bi videri Meacum Urbem Vlyssipone am-  
 pliorem . Ædes omnes è materiâ sunt  
 contignationibus & tabulatis more nostra-  
 te surgentibus exstructæ . Anno , si Deus  
 annuerit , sequenti ex præsentis de his ex-  
 perientiâ copiosis ad Te literis disseram .  
 Magna mihi spes è Christi . I. S. V. propitio  
 favo-



favore animum complet, fore ut magna  
Iaponiæ pars, ob eam, de quâ dixi, Ra-  
tionis ad liquidum perspectæ in hâc Gen-  
te autoritatem, Nostram Sanctam Religio-  
nem amplectatur. Atque huius, qui tam  
verisimiliter expectatur, ingentis fructûs  
bona pars Liberalitati & Humanitati illi  
tuæ imputabitur, quâ nos & voce atque  
operâ coram, & scriptis quò fuit opus  
efficacibus mandatis, & donis ex tuâ co-  
piâ speciosis conferendis, quibus Regis Ia-  
poniæ gratiam eblandiamur, hoc nostrum  
consilium Christi legis in hoc Regno pro-  
mulgandæ, ex infinitis & nostræ imbecil-  
litati insuperabilibus difficultatibus expli-  
casti. quæ res facit, vt cum Dei auxilio  
confidam, per Te absolvendum & in ple-  
ni successûs promovendum lucem, quod  
Dominus Comes Admirantes Pater Tuus  
olim inchoaverat. tantò maiori apud Deum  
tuo merito, quòd ille navigationum ad Orien-  
tales hos Populos vel institutarum vel fre-  
quentatarum non alium ferè quàm quæstûs  
temporarij Lusitano Regi fructum attulit:  
Tu longè felicior hâc nostrâ tam benevo-  
lè navigatione iuvandâ, æternam amplifi-  
cationis Regni Christi & propagationis Di-



vinæ Gloriæ utilitatem procurasti . Hoc scribo ut intelligas , quàm obstrictus Deo sis , qui Te ad rem tantam elegerit ; & istud tam laudabile Nostræ Sanctæ Religionis per has Oras dilatandæ propositum menti penitùs tuæ inseverit . Nec deerit , mihi crede , quin primùm quærenti Dei Regnum humanæ accumulentur opportunitates . Regi enim quoque , nisi fallor , & Regno , quorum rationes summâ fide ac diligentia procuras , uberes proventus nostra hæc Iaponiensis Expeditio promittit . Sacaium est Civitas maritima , princeps Emporium Iaponiæ , itinere bidui Meaco distans . In eâ Vrbe , Deo iuvante , facile impetratu erit , vt detur ius Domicilij Procuratoribus Regis Lusitaniæ , facultasque ædificandi Apothecas ubi merces Indicas Europæasque custodiant , donec eas per otium commutent cum pretiosissimis quibusque Iaponicæ terræ metallis , artificijs & fructibus , argento præsertim atque auro , quæ ex omnibus ferme hisce Insulis in hunc ditissimum illorum Tractuum portum maximâ copiâ vanum importantur . Id quò faciliùs commercium vtrimque quæstuosum ineatur , suadere conabor  
Regi



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 409

Regi Iaponiæ ut Legatum in Indiam mit-  
 tat, qui spectatâ illic abundantia rerum  
 ad vitæ usum opportunissimarum, quibus  
 caret Iaponia, desiderium earum suis re-  
 diens moveat: & sic eos proniores ad mu-  
 tui mercatus condiciones admittendas red-  
 dat. unde fiat, ut non ægrè inter In-  
 diæ Proregem & Regem Iaponiæ conve-  
 niat, tum de cæteris legibus Commercij,  
 tum propriè de Portorio ac scripturâ Lu-  
 sitanici Fisci, Sacaij, vti dictum est, con-  
 stituendis. Multum confido in Domino  
 IESV fore ut ante duos annos scribam Ti-  
 bi, habere nos Meaci Templum Deo di-  
 catum in honorem Sanctissimæ Deiparæ  
 Domine Nostræ; ut qui deinceps in has  
 Insulas navigabunt, in horribilibus illis  
 Sinici Archipelagi procellis invocare pos-  
 sint Divam Virginem Meacensem. Quod  
 si tantum mihi fidei tribueres, vt sumere  
 me sineres Officium Procuratoris in his lo-  
 cis tui, spondere ausim effecturum me  
 ut quamcumque rei ac pecuniæ tuæ par-  
 tem mihi commendatam hoc nomine vo-  
 lueris, eam Tibi plusquam centuplicato  
 scœnore auctam repræsentsm; idque lucro  
 à periculis itinerum & naufragiorum pla-  
 nè



nè securo ; certæ mercaturæ felicitate,  
 quali nullus ante Te Præfectus Malacæ in-  
 nocentius vberiusque lucrum fecerit . Sci-  
 re aves quod hoc genus sit compendiosissi-  
 mæ nundinationis ? missis ambagibus di-  
 cam . Induc sodes in animum largiri no-  
 bis quod dividamus egentibus harum terra-  
 rum Christianis , qui modò sunt , & qui  
 mox fient . Huius sic collocatæ sortis,  
 præsto ; fideiussore Christo , plus quam  
 centuplum in Cœlo Tibi reddendum , non  
 obnoxium ventorum aut fluctuum incerto,  
 neque armis insidijsve Piratarum . Hac  
 scribens verebar ut satis parato in præ-  
 sens esses animo ad istam iaciendam spe-  
 randæ in Cœlo commutationis aleam ;  
 quâ nihil tamen est securius . Scio Vos  
 Præfectos Malacenses excelsis animis , quam-  
 quam satis alioqui experrectis ad lucrum ,  
 hanc tamen certissimam artem utilissimi  
 compendij plerumque negligere solere . La-  
 tro Nauarchus Noster hic Cangoximæ  
 diem obiit . Inservivit nobis ex animi fe-  
 rè nostri sententiâ navigatione totâ ; nec  
 nos tamen ei reddere vicem in portu at-  
 que in morte potuimus . Ipsi enim mori  
 libuit in superstitione suâ : neque illud fal-  
 tem



## NOVARVM EPIST. Lib. 5. 411

tem nobis reliquum fecit, quo alijs Amicis in Christianâ professione defunctis referre post mortem gratiam possumus, commendando eorum animas Deo; quando miser suam animam in Infernum proiecit, ubi nulla est redemptio. Multi hinc Iapones ad vos navigant, ad id consilium impulsî sermonibus Pauli Nostri mira de Lusitanorum Virtutibus narrantis. Oro & obsecro Te per quantum Deo debes & Tuæ nobilitati, excipe illos honorificè ac liberaliter, & da operam ut apud Lusitanos copiosos & honestos, à Te iussos omnem illis humanitatem exhibere, splendè commodèque diversentur. Magno id illis (mihi crede) invitamento erit ad Christi Religionem amplectendam, si vera de Lusitanis retulisse Paulum, experimento ipsi proprio compererint. Dominicus Diazius cui has committo Tibi reddendas literas, Amicus meus summus est, nec minus mihi carus quàm ipse me diligit. Humanitas enim ejus & in nos benignitas per assiduam consuetudinem longæ navigationis, continuis officijs perspecta mihi est. Singulari me beneficio affeceris, si homini de me optimè merito, quàm deberi à me



412 S.FRANCISCI XAVERII

me profiteor , nec exolvere possum , Tu  
gratiam rependeris. Deus Dominus Noster  
dies vitæ tuæ in multos propaget annos,  
Teque salvum & florentem , ut Tu & Do-  
mina Vxor Tua optatis , in Lusitaniam  
reducatur. Vale. Cangoximâ Nonis Nouem-  
bris An.CIÖIÖXLIX.

Tuus in Christo .

*Franciscus .*

EPISTOLA VII.

P. ANTONIO GOMEZIO

SOCIETATIS IESV .

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri  
adsit semper nobis auxilio &  
favore . Amen .*

**Q**Voniam Epistola quàm III. Nonas,  
hoc est nudius tertius , ad vos com-  
muniter omnes qui è Societate  
Goæ degitis , dedi , tam proluxa est , tam-  
que distinctè persequitur singula , vix quid-  
quam



## NOVARVM EPIST. Lib. 5. 413

quam superest quod ad te propriè scribam præter hoc unum : obversari te continuo menti memoriaque nostræ : nec unquam cessare affectum meum ab ardentè optando tuæ animæ plus gratiæ ac profectûs spiritualis , quàm fortasse tu ipse tibi cupias. Omnium quidem Fratrum Nostrorum per Indiam sparsorum , quos tibi commisi gerere te curam velim , ut ad perfectionem indefesso contendant studio : cæterum præ cunctis scito commendare me teipsum tibi : nihilque magis velle aut majoris momenti ducere , quàm Te toto conatu incumbere ad promovendum provehendumque semper in melius tuum animum . quo in negotio si vigiliam etiam acerrimam remitti vel paululum à te scirem , haudquam te idoneum arbitrarer cui salus aliorum , aut omninò quidlibet rei majoris rectè committeretur . Si verò ( quod potius reor , & Deum , ut annuat , veneror ) tu alacris & strenuus ad scopum semper animo propositum summæ Dei Gloriæ tui perfectione procurandæ , irrevocabili perges impetu currere , obstaculis quibusvis eluctandis , idque mihi certò nosse contigerit ; haud desperarem posse fieri , ut te  
ali-



aliquando huc accersam , mittendum Meacum aut Bandum , hoc est in arces ipsas ac Castra Iaponicæ superstitionis , ubi amplam nancisceris facultatem tua sancta desideria explendi . Cave omittas scribere mihi fusè ac prolixè de cunctis Fratribus Nostris qui vivunt per Indias , deque ijs qui in Lusitaniâ quique Romæ degunt , exponens quid quisque agat , quo fructu in Vineâ Domini laborent . magnam constituo spem fructûs animi , solatijque ingentis in tuarum ejus argumenti lectione literarum : quo ne me defraudes oro te ; nec chartæ in hoc parcas aut operæ . utique cum me non otiosissimum , ut satis nosti , tam verbosis literis , quales sunt hesternæ illæ , vos de omnibus quæ vobis grata utiliaque fore autumo , haud pigeat certiores facere : cujus à vobis diligentia vices gratas expecto scilicet ac flagito . Quos isthinc huc in Iaponem advoco , ut se quamprimùm , remoris omnibus expediant , præstòque ad conditum sint , dare te volo sedulam operam ; atque autoritate ad hoc urgendum eâ uti quàm tibi plenam rerum istiusmodi contuli . Scis modos id efficaciter & suaviter efficiendi , accommodatè

ad



ad cuiusque captum ac genium . Pater  
 Cosmus Turrianus tui amantissimus scribit  
 tibi , ac , pro suo vehementi erga te affe-  
 ctu , multa optat , quæ tibi ut conducibi-  
 lia modò sint , vereor . maturescent ad-  
 huc cruda , suo tempore . articuli oppor-  
 tunitatum expectentur . Interim sic habe :  
 majora me tibi & ampliora destinare ,  
 quàm tu ipse , aut hic perstudiosus tui Pa-  
 ter , cupiatis . adeoque vix aberit , quin  
 ante quàm tertius ab hinc annus evolva-  
 tur , literas à me accipias quibus huc evo-  
 ceris ad aliquam ex celeberrimis horum  
 Regnorum Academiam iturus , ubi fortas-  
 se uberioribus quàm autumas Divinarum  
 consolationum illapsibus fruëris , & ali-  
 quantò numerosiora congeres animarum lu-  
 cra quàm quantum istud est quod ex tuis  
 in excolendâ Indiâ laboribus percipis . Ve-  
 rùm hæc aliàs . quod nunc instat ; quia  
 verebar ne quis in aliquem è Socijs , quos  
 huc accerso , tuus fortè tibi tenerior affe-  
 ctus obreperet , ut specioso prætextu fas  
 putares excipere ac retinere isthic quem-  
 piam , alio in ejus subrogando locum ,  
 etiam atque etiam edico : cave attentas  
 quidquam tale . ac persuasum habe , fo-  
 re ,



re, si, quod absit, hoc faceres, ut graviter in re momenti maximi contra tui Præpositi disertum imperium, contra tuum ipsius officium, delinqueres; & culpam conscisceres haud leviter à Deo vindicandam. Id quod ego tuâ etiam causâ studens prævertere, mando tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut planè omnes ad quos scribo nominatim huc evocans, nemine prorsus quocumque obtentu prætermisso, aut mutato, confestim expedias, & ut ad tempus solvendarum in has terras navium procincti ad cursum præstò sint cures. Per naves quæ Goâ in Armuziam non ferè ante Martium solvunt, fac mitas illuc exemplar Epistolæ meæ longioris scriptæ II. Nonas, ante hoc triduum, simulque quàm scribo propriè ad Magistrum Gasparem, jubens eum venire ad nos quamprimum, ut eâ ille maturè acceptâ comparare se possit ad occurrendum isthuc tempestivè ante Aprilem anni sequentis, navibus usus illo tempore Orientem versus vela facere solitis. nam & nos eodem Aprili Mense ad hunc cursum Goâ solvimus. Si quem ex à me vocatis mori contingeret, age de alio ei substituendo cum

Patre



Patre Paulo ; & quem concordi iudicio  
 ad id ambo probaveritis , huic in virtute  
 Obedientiæ à me præcipite , ut cum alijs  
 veniat . Singulis enim illorum ne mercede  
 obedientiæ fraudentur , præceptum hùc na-  
 vigandi , pro potestate imponendum cen-  
 sui . Videtur mihi expedire , ut ij ducant  
 secum duos Adjuutores Laicos , aut saltem  
 unum . Hos oporteret , præterquam indu-  
 strios ac strenuos ad necessaria ministeria  
 domestici usûs , quantumvis humilia , etiam  
 esse homines perspectæ virtutis , quos satis  
 confidi posset , in quibusvis occasionibus  
 peccandi , tutos à lapsûs periculo futuros .  
 Atque id pro rei momento iterùm inculco .  
 Eligantur , inquam , ad id viri constantiæ  
 in bono probatissimæ ; quorum innocentia  
 securè queat exponi vel pellacissimis illece-  
 bris tentationum , quales utique abundant  
 in terrâ , ob lubrica præcipitia , supplantatri-  
 ce non cautè per eam gradientium , pa-  
 rùmque aut attentorum ad vitandos , aut  
 fortium ad frangendos , dum occurrunt , in-  
 sidiosissimè passim sparfos laqueos anima-  
 rum . Porro dum hi parantur ad disces-  
 sum , vos per otium transigere vellem cum  
 Pratore , ut is literas scribat ad Regem

D D

lapo-



Iaponis , muneraque, quæ ejus nomine cum Epistolâ reddantur, adijciat. Valebit id ad commendandam istis Gentibus Prædicationem Evangelicam, cujus, præter insitam divinitus vim, etiam externis hisce testimonijs adjunctæ, tantum non temerè fructum expecto, ut florentem in Iapone Christi Ecclesiam conversione plurimorum brevi coalituram existimem. Quia verò suâ quisque allestandus escâ est; nec alluetos rationibus putandis temporalium lucrorum perinde ostentationes spiritualium utilitatum movent; facite ut diligenter exponatis curatoribus isthic Fisci Regij, non vulgarem se præbere facultatem novorum vectigalium magni quæstus ac pretij Regi è Iapone parandorum. Siquidem facile impetrari poterit, ut in urbe maritimâ Sacajo, quod est princeps Emporium totius Iaponiæ, Domus publicè assignetur Procuratoribus Regis Lusitaniæ, cum Apothecis mercium Europæarum, quæ cum auro argentoque probatissimis, quorum illuc metallorum è fodinis hujus terræ uberrimis, magna vis importatur, grandi quæstu permutentur, constituto ibidem portorio & scripturâ, ingenti utique compendio Fisci

Re-



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 419

Regis Lusitanici . Absque hâc objectâ spe  
 malè metuo (quàm vellem vanam hanc  
 meam & falsam suspicionem esse ! ) valde  
 inquam vereor , ut adducantur , qui regias  
 isthic utilitates curant, ad expediendam Ia-  
 ponem versùs navem magnam Regis nomi-  
 ne , unâ propriè de causâ importandorum  
 eò Prædicatorum Evangelij . nos porrò gau-  
 debimus , vel per occasionem Christum  
 annunciari ; etiam in lucro posituri , quòd  
 saltem in accessorio terrenæ pecuniæ Re-  
 gnum cœleste computetur : Ministris hîc ne-  
 cessarijs salutis animarum tutò , ubi matura  
 messis vocat , invehendis , navigio præcipuè  
 destinato ad constitutionem humani com-  
 mercij . quin si haud prona isthic res ef-  
 set , pro præsentî fortè Indiæ statu , mitti  
 Legatum ac navem Regis , aut Proregis no-  
 mine , posset Prætor de suorum Cognato-  
 rum aut Necessariorum aliquo benemereri ,  
 concedendâ huic legatione liberâ cum Pri-  
 vilegio Iaponici mercimonij quæstuosissi-  
 mi . Hic verò , nisi fallor , perlibenter sum-  
 ptu privato bonam Onerariam armaret in  
 istum cursum , unde verisimillimè , ac quasi  
 certò , exspectaret emolumentum omninò ma-  
 ximum . Videtis qui sunt isthic locupletes



Institores, quæ facultates, quæ vota singulorum. horum cuiquam ut salivam Japonici quæstus moveatis religionis rationibus nunc utilem, offerte, immo & quibuscumque conducibile creditis, quem his adjunctum mitto Catalogum mercium magno hic statim vendibilem, quibus isthic abundantur. Harum numerum congeri quàm maximum oporteret in navim huc mittendam, cujus Dominus si pigretur se discrimini committere, Procuratorem ei præficiat, cui rectè fidat. nos quoque pro virili annitemur ad cooperandum citæ distractioni rerum apportatarum; & pro præsentis notiâ spondemus, ingens planè sic negotianti lucrum ostendi. Hæc si aptè in tempore quibus oportet allegaveritis, existet nempe qui excitetur indicio parabilis thesauri, ad quidvis pro spe tali paciscendum. Ac tum periculum non erit ne navis minùs firma deligatur. Eam utique cui tantam rem committent suam, vel omnium instructissimam studebunt esse, nihil curæ ac sumptui parcentes. nos verò sic consequemur ut Præcones Evangelici eidem impositi navigio, quàm potest fieri tutissimè, quò nunc opus est mittantur. Habes  
cogi-



cogitationem meam de modo procurandi  
 Trajectis commodi Sociorum isthinc in  
 has Insulas . de quo illud præterea moneo,  
 quod experientia nos docuit . Tutò ac ci-  
 tò transmittere inde hùc volenti , solvendum  
 esse Goâ Mense Aprili , Malacâ verò Men-  
 se Junio . quare date operam , ut navis  
 huc ventura cum toto onere , ac copioso  
 viatico , annonâque omnis generis , cum  
 Goâ tum Malacâ vela faciat tempore quod  
 indicavi ; nec qui eam regent , ullâ se ra-  
 tione induci patiantur ad deflectendum  
 obiter ad portus ullos Sinarum , quocum-  
 que prætextu negotiationis quæstuosæ , aut  
 comeatum inde parandorum , quos aliun-  
 de copiosè providissè oportuit . ac ne in  
 Insulas quidem obvias exscendant mercatu-  
 ræ gratiâ ; nisi necessitate urgente Aquatio-  
 nis cursim ac citrà moram festinandæ . Sic  
 enim habeant , & expertis credant , recto  
 nec interpellato statione ullâ cursu navi-  
 gari debere Malacâ in Iaponem à pericli-  
 tari gravissimè nolente . qui secus faxit ,  
 aleam jaciat , præter quàm damnosissimæ  
 tardiosissimæque moræ , capitalium etiam  
 discriminum . Temporis quidem quanta  
 jactura fiat ex utriusque viæ comparato suc-



cessu cognoscite . quatuor mensium cum dimidio , in summâ tarditate , cursus est rectus Malacâ in Iaponem : Si deflectatur ad Sinas , vix mensibus septendecim postquam Malacâ solverit navis Iaponem tenebit . Ac quia scio quantum Avaritia sub spei præsentis illicio apud Institorum animos valeat ad subita consilia securis promissorum obijcienda , è re putarem artes quadam subtrahi materiam negotiationi Sinicæ : curarique à vobis ne plus piperis onerariæ imponatur , quàm quantum Iaponico absumendum commercio satis isti norunt . Alioqui si conscij sibi sint tantæ mercis illius copiar , ut profligatâ Sinensibus parte redundante , abundè superet quòd Iaponibus vendatur , vix tenebuntur in vicinâ Sinicorum Portuum , quin cupiditati obsequantur , & cursum interpellent ; quidquid contra suadeat tempestas , & vectores reclamant . Ergò cum navigium , quo Patres vehendi sunt , onerabitur ; impetrato ab ijs , quorum hæc potestas est , ne piperis supra octoginta capsas imponatur . Is ferme numerus est , qui Sacaij citò & lucro maximo potest distrahi . Aliud præterea præmuniri vellem ad tantò efficacius frænantiam



dam naviculariorum aviditatem . Orate  
 Dominum Prætozem , qui vobis id non  
 ægrè gratificabitur , ut diplomati , quo  
 Rectori navis hùc venturæ Nostros in Iapo-  
 nem deportandi curam demandabit , di-  
 fertè adscribi jubeat : vetare omninò se,  
 ne mercimonij causâ in Sinarum Portus ex-  
 scendat . quia enim extrema tempestivitas  
 cogitantibus Iaponem Sinis , in Kalendis  
 Augusti defixa est ; adeout nisi saltem eo  
 die vela dent Etesijs inde adhuc in men-  
 struum ferè spatium spiraturis , rerum il-  
 lic maritimarum periti desperent Iaponiam  
 illo anno tangi posse : manifestum esse Ma-  
 lacâ solventes sub finem Iunij , si nego-  
 tiji se implicent in emporijs Sinarum ,  
 haud expeditos ad navigationem fore sub  
 initium Augusti , mora enim illic necessaria  
 occasionem absumeret viæ Iaponicæ , coge-  
 retque rursùm expectari usque ad annum  
 vertentem , quam vocant *motionem* ; hoc  
 est auram & tempestatem accommodatam  
 ad eum trajectum , stato duntaxat illo tem-  
 pore recursuram . quod quia gravi Prædica-  
 tionis Evangelicæ , quæ Regi præ omnibus  
 cordi sit , detrimento fieret , ferid se de-  
 nunciare : qui id committat , noxam in-



cursurum quali subjacent qui Regis Imperio scientes adversantur . utique cum eâ solum ritè stipulatâ conditione recti cursus sine diverticulo tenendi , Patres in Iaponiam pervehendos acceperit , alteri , ex Regis mente , navi & navarcho commendandos , nisi hoc iste recepisset . Socijs qui versantur in Promontorio Comorinensi mittes exemplum descriptum Epistolæ prolixæ , quàm III. Nonas ad vos dedi . Simul aliquid affulserit certæ spei è Meaco , statim scribam ad vos fusè , uti & Nostri Fratribus Conimbricensibus , & Patribus Romanis . Si Dominicus Carvallius nondum sit initiatus Sacerdotio , petes à Domino Episcopo ut illum ordinet . Fac Amicum tibi teneas , & omnibus officijs demerearis , Ruizium Gonzalem . nam illum habere benevolum nostrâ interest , cum ejus curæ commissi sint Christiani Comorinenses , unde Patres Societatis Nostræ , qui in illo Promontorio Res Ecclesiasticas curant , quotidie in multis , ejus Viri favore indigent . De Melchiorre Gonzale , deque Collegio Bazainenzi , ac de Franciscanis qui illud prius tenebant , an Fratres eorum Ordinis recens è Lusitaniâ venerint ; denique

an



an id Collegium, uti semel Nostræ Societati est traditum, ita adhuc ab eâ gubernetur, & porro in perpetuum gubernandum speretur, scire cupio ex te. quare fac primis literis, me de his omnibus plenè doceas. Adde de Patre Nicolao; quo fructu Colani laboret: atque an sedulò urgeat rem quam illi enixè commendavi, summè necessariam ad erudiendos in literis Filios Christianorum Comorinensium, & juvandos Patres Nostros qui in partes illas mittuntur. quibus quidem Patribus, ut nullâ in re quâ indigeant desis, te etiam atque etiam rogo. quin ultrò invigila petitiones & desideria illorum occupans; curâque occasionibus apud Prætorem & Præectum ærarij Regij, ut eis subministraretur quæ opus sunt satagens; quin etiam ubi urgente necessitate expeditior eis subveniendi ratio aliunde non occurret, è re familiari Collegij istius illis interim consulens. Cupio præterea discere tuis literis; æquid expectati è Lusitaniâ Societatis Nostræ Concionatores adhuc Goam appulerint, quot ij sint, quibus singuli dotibus præditi? Si verò advenerint; in eorum distributione, ante omnes habeatur ratio



ratio Civitatis Cocinensis , quæ quantum  
boni Oratoris operâ egeat , scio . Hæc  
omnia quæ tibi scribo , scripta etiam pre-  
tentur Patri Paulo , cui communicabis ; ad  
quem spectabit assignare Concionatoribus  
loca in quibus prædicent , & eos illuc pro  
potestate mittere . Isthuc proficiscuntur  
Bonzij Iapones duo , qui versati sunt in  
Academijs Meacensi & Bandensi . Facite  
illos in cunctis omni benevolentia signifi-  
catione demereamini . Amore quippe at-  
que humanitate Iaponica ingenia concilian-  
tur . Omni ratione satage , ut multâ sis  
apud Dominum Episcopum gratiâ , item-  
que apud ejus Vicarium , summum eis  
amorem veneratione conjunctum exhibens ,  
eis ad nutum inserviens , & in cunctis ob-  
temperans . sunt enim Majores nostri : ac  
quidquid conficiendum cum illis ert in-  
comparabiliter facilius & citius , obsequio  
ac demissione peragetur . Iterum oro te :  
in expediendis huc constituto tempore quos  
advoco Patribus , nihil tibi ad summam di-  
ligentiam reliqui facias . Si consilijs no-  
stris Deusnaverit , & labores adjuverit , ac-  
cipietis aliquando à me literas ante an-  
num vertentem Meaco scriptas . Domi-  
nus



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 427

nus Noster cumulet vos tantâ hîc gratiâ ,  
tantâ in Paradiso Gloriâ , quantam ipse  
mihi cupio . Cangoximâ Nonis Nouembris  
AN. CIOIOLXIX.

Superioribus à me dictatis , hæc adscri-  
bo manu propriâ . Per Domini Dei No-  
stri Amorem , obsecro te , da sedulam ope-  
ram , ut te omnes ac singuli Nostræ So-  
cietatis Fratres ament plurimum . Id con-  
sequeris , præsentibus bonis verbis & benignis  
officijs , absentibus crebris & perhumanis con-  
solans literis . Magnoperè te velim statum  
habere locum ac tempus , quo Doctrinam  
Christianam continuè rudibus explices . ac  
cuperem id à te fieri in Templo Episco-  
pali ; ibidemque præterea Dominicis ac fe-  
stis diebus , mane te dicere ad populum  
è sacro pulpito , post meridiem ad man-  
cipia & Pueros Christianorum , Artic-  
ulos Fidei declarare linguâ ipsi notâ , pro-  
ut ego faciebam cum isthic essem . Et hoc,  
ut exemplo sis alijs . Vehementer oro te ,  
ut ad me minutatim scribas de statu in-  
teriori tui animi . Scis quantum gaude-  
rem , si cognoscere me isto indicio contin-  
geret quæ anxie ac cum acri sollicitudine  
cupio de progressu ad perfectionem tuo !

In-



Inter multa quæ mihi nuntiari lætissima  
 possent, illud vel in primis numeraverim,  
 si multorum concordibus testimonijs disce-  
 rem, impensè amari à te à cunctis Socie-  
 tatis Nostræ Fratribus, sive qui tecum sub  
 eodem tecto vivunt, sive qui alibi propè  
 aut procul in alijs Domicilijs aut Missioni-  
 bus versantur. Caros illos omnes esse tibi  
 si audiam, gratum quidem fuerit; sed di-  
 midium tantum afferret gaudij. ut id ple-  
 num sit, persuadear oportet, tum te in  
 eos omnes affici tenerrimè, tum ab ijsdem  
 vicissim impensè diligi. Vale.

Tuus in Domino.

*Franciscus.*

EPI.



EPISTOLA VIII.

PATRIBVS GASPARI BARZÆO, BAL-  
THASARI GAGO ET IACO-  
BO CARVALLIO.  
GOAM.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
adsit semper nobis auxilio &  
favore. Amen.*

**C**VM in his Iaponiæ Regnis præsens ani-  
madvertam dispositionem optimam ad  
insignem profectum Nostræ Sanctæ Fidei; &  
aliunde memoriâ repetam inflammata deside-  
ria quibus dudum astuatis Divinæ promo-  
vendæ gloriæ, adiuvandis Proximis in sua-  
rum inveniendâ salute animarum; in eam  
fiduciam ingressus sum ut sperarem, pro ea  
quam vestri habeo notitiâ, non defuturam  
vobis, Deo Domino Nostro iuvante, virtu-  
tem atque Humilitatem interiorem, quarum  
ope ac præsidio possitis efficere quod cupitis,  
& antiquorum aliquando fieri compotes vo-  
torum. Mando itaque vobis in virtute San-  
ctæ Obedientiæ, ad vestrum maius meri-  
tum,



## 430 S.FRANCISCI XAVERII

tum, vt, nisi quemquam vestrum valetudo  
 impediât, Vos, Magister Gaspar, Balthasar  
 Gage, & Iacobe Carvalli, veniatis in Iapo-  
 niam, vbi ego sum, mox iturus, Deo iuvan-  
 te, Meacum; ubi, ut spero, me reperietis.  
 Vos verò Balthasar Gage & Iacobe Carvalli,  
 toto itinere obedietis Magistro Gaspari, de  
 cuius Prudentiâ & Humilitate confido, fun-  
 cturum illum tali Præfecturâ, quâ par est  
 attentione ac diligentîâ. Quia certissimum  
 habeo, vos, statim vt hæc videritis, nullam  
 moram huc proficiscendi facturos, sic sua-  
 dente perspectissimâ mihi vestrâ omnium re-  
 ligione, ac perfectione mentis ad obedi-  
 dum, vel cum mortis periculo, paratissimâ,  
 amore illius, qui prior factus est pro nobis  
 obediens vsque ad mortem, nihil iam dictis  
 addam, quod ad vos & iter hoc vestrum  
 attinet, sperans vos, Deo deducente, salvos  
 huc mihi atque incolumes brevi sistendos.  
 Scribat hæc manu propriâ Vester ac Vestri  
 amantissimus in Christo frater, Cangoximæ  
 Nonis Novembris, Anno MDCLXIX.

*Franciscus.*

EPI-



## EPISTOLA IX.

*P. Paulo Heredia Cocinum, ut ibi Collegio præset, misso sub finem  
Anni 1551.*

**H**Æc tibi, quæ Cocini usu teneas, mandata præscribo. Primum omnium quantum erit in te situm, industriâ & contentione omni adhibitâ, da operam ut totius illic Populi Tibi concilies amorem; præsertim autem Sodalium & Moderatorum Ædis Sacræ Matris Dei, sollicitè exquirens & sedulò adhibens omnes vias & rationes eis certò persuadendi, te non aliud in votis habere, quàm obsequi voluntati eorum, & augere pro virili religionem ac venerationem Populi versùs istam Sanctam Domum Matris Dei. Itaque eos crebrò perofficiosè invises, & ad eos cum fiduciâ confugies in tuis spiritualibus necessitatibus dubiorum & anxietatum, consilium postulans. Necessitates verò corporas Pauperum tuam opem implorantium, referes ad Sodales Misericordiæ, causas apud illos miserorum per te agens, & inde



de ijs subsidia procurans , quæ videlicet ex tuâ domesticâ inopiâ suggerere non possis ipse . quod profiteri te convenit ; efficerique ut intelligant Pauperes , id quod à te accipient , è penu tuâ non depromi ; sed Sodalitatis Misericordiæ liberalitate donari . Ac cum istâ occasione inopes ad te accurrentes exponant penuriam quâ laborant rerum corpori necessariarum , tu vicissim illos admonebis de inopiâ , quam minus sentiunt , cuique consulere parùm curant , opportunorum ad salutem animæ subsidiorum . quorum tamen copiam in promptu habeant , si uti velint : quare ne id negligant hortaberis ; magnopere suadens , ut mentem ad Deum vertant , ipsum orent , adorent , mysterijs ritè usurpandis Confessionis & Eucharistiæ sibi propitient ; ad quod tuam illis paratam exhibebis operam ; ostendens te ipsis illo functionis officio primario , nequaquam defuturum in cæteris commoditatibus vitæ ac victus , istâ de quâ est dictum ratione , impetrandis . In usu cum hominibus omnis generis promiscuo , id enixè affectabis , ut modestia in te timore vacua æquè à cunctis observetur . neminem non benigne ac

de-



demissè alloquendo ; singulis cùm Eccle-  
 siasticis tùm Sæcularibus honorem quantus  
 cuique competit prolixè deferendo . Si  
 quid fructûs ex tuis ministerijs extabit,  
 ejus laudem haud appetes , vel ultrò dela-  
 tam accipies : sed totam in solidum ijs tri-  
 bues quos tibi autores adutoresque , adeo-  
 que præcipuos effectores piorum istiusmodi  
 operum fuisse , gratè ingenuèque profitebe-  
 ris . Id spectanti & in eo elaboranti tibi  
 ut bonum per te nomen Nostræ Societa-  
 tis augeatur , persuasissimum esse convenit ;  
 tum te duntaxat navaturum in hoc ope-  
 ram , & voti ejus compotem futurum ,  
 cum ingens demissionis , & alienissimæ à fa-  
 ctu omni modestiæ passim specimen præ-  
 bueris . etenim qui te verè humilem aspi-  
 cient , & tui , quem intuentur , cæteros .  
 quos non vident , Socios arbitrabuntur esse  
 similes , veram scilicet informabunt ideam  
 Religiosorum Societatis I E S V , Institutum-  
 que id impertient eâ quam despicientia sui  
 facilè à quibusvis impetrat approbatione  
 gratiâque . una ea via est famæ Societatis  
 propagandæ . quod faciliùs intelliges , si  
 memineris eos qui primi laboribus in Ec-  
 clesiæ obsequium suscipiendis huic Ordini

E B

cele-



celebritatem pepererunt , omnium id quidem exercitio Virtutum , sed præcipuè neglectûs humanæ gloriæ , ac sui depresso-  
 ne , quàm cæterarum fundamentum agnoscebant , exemplis ubique clarissimis edendis id fuisse assecutos . Hos tu imitando , & te dignum isto nomine probabis , & ejus existimationem promovebis . aliud iter sequendo aberrares videlicet , ac quod illi construxerunt everteres . Ante omnia memento , autoritatem apud Populum , gratiamque ac plausum multitudinis , Dei solius donum esse ; quod ille largiturus sit illis duntaxat , quos eâ virtutum soliditate roboratos videat , ut eos jure confidat isto tam insignis efficaciam talento rectè ad sui ipsorum , & hominum quibus juven-  
 dis vacant , salutem usuros . Quos autem ita comparatos cernit , ut fructum , si quem ex suis ministerijs referent , ad propriam derivaturi jactationem sint , meritò mulcet istâ gratiâ , non vertens in eos studia Hominum ; nec aspirare ijs à puppi sinens auram favoris popularis ; ne dona Dei contemnantur imputata conatibus humanæ industria , & discrimine sublato Sanctorum & Imperfectorum , tepidi ac minus accu-  
 rati



rati in Dei obsequio, mendaci suffragio  
 successuum, & falso Famæ præconio in-  
 speciem virtutis exquisitæ subornati, hono-  
 rem Operarijs verè Apostolicis debitum à  
 plebe imprudenti consequantur. Tu ita-  
 que fac Divinum Numen continuè atque  
 instanter ores, ut tibi sensu mentis intimo  
 nosse tribuat, quæ quamque gravia ex te  
 obstacula opponas profectibus Evangelij, im-  
 pediens vitio tuo ne Deus quantam vellet  
 sui notitiam indulgeat isti quem malè curas  
 Populo, cui scilicet ad persuadendum quæ  
 opus est, autoritate idoneâ destituaris, tuâ  
 culpâ; quòd istud Cœli munus fervore ac  
 fidelitate debitis non promerueris. Quan-  
 do stas quotidie temporibus juxta Nostræ  
 Societatis usum, actiones tuas ad calculos  
 revocas, inquirens ecquid in ijs pecces,  
 ne omittas severissimè discutere quemadmo-  
 dum te geras in administratione Verbi Dei  
 ex Ecclesiastico pulpito, Sacramenti Pœni-  
 tentiæ è sacro Tribunali: in promiscuis  
 denique sermonibus ac congressu quotidia-  
 no cum hominibus, accuratè observans  
 quæ in his aut negligenter omittis, aut  
 agis perperam; serioque decernens, ac  
 mox fideliter exequens, necessariam emen-



dationem . Hanc enim si statim à culpe  
 notitiâ adhibeas , non cunctabitur Beni-  
 gnissimus Dominus cum suis ultrò donis tuæ  
 pœnitentiæ occurrere : ac suis in te cu-  
 mulandis gratijs, detrimenta præterita in  
 profectûs uberrimos vertere . Nolim autem  
 ( quod multi faciunt ) te spem conciliandi  
 tibi populi in humanis artificijs constitue-  
 re ; callidèque grassari ad gratiam celebra-  
 tatemque Vulgi eblandiendam , ijs obnoxie  
 faciendis aut dicendis quæ grata jucunda-  
 que multitudini esse perspexeris . Indigna  
 Evangelij præcone ista sedulitas est ; quip-  
 pe quæ , præter quàm individuum trahit  
 comitem pruriginem vanæ gloriolæ à Po-  
 pulo captandæ per sanè periculosa n , etiam  
 est injuriosa Christo Domino Nostro : quip-  
 pe cujus honorem istiusmodi Prædicatores,  
 quem spectare ante omnia deberent , suæ  
 ipsorum famæ posthabent ; in primis qua-  
 rentes laudem propriam ; eaque adepti,  
 ut jam optati compotes , facilè remittentes  
 ardens studium Divinæ Gloriæ per veram  
 ad Deum conversionem avimarum , sum-  
 mo conatu procurandæ . Hæc quæ dixi  
 hætenus acri mentis attentione perpendas  
 censeo : desque operam ut istiusmodi sensu-  
 bus ,



bus, intimos tui animi sinus imbuas, penitusque perfundas; haud sinens evolare si quid, prout solet, Benignissimus Dominus tibi Divina Meditanti Cœlestis illustrationis afflaverit: sed id diligenter in libellum ad memoriam conferens. Magna pars, mihi crede, veri profectus in Spiritu Deo ferventium, in hac observatione & sollicitâ recogitatione notitiarum, istiusmodi, orando ac commentando perceptarum, sita est. Etenim Si momentaneis istis aliquando dignatus quispiam Divinæ Lucis radijs, veritates per eos detectas literis consignaverit, longè alio videlicet animi motu fructuque istam ex intervallo scripturam releget, quàm si non esset expertus quæ chartæ illevis. quinetiam luculentas illas formas quasi fugitivas retrahet, iterumque regustabit vivos sensus, aut eorum certè clariori recordatione saluberrimè vegetabitur ad ferventer operandum sapiendumque prout convenit ex præsentis usu. Latum enimverò discrimen saporis ac gustûs spiritualis est inter vulgares lectores istiusmodi rerum à Sanctis è congressu cum Deo recentibus scriptarum, & eos qui propria in ijs, & aliàs experta recognoscunt;

E B 3            quâ



quâ memoriâ & sensu intimo qui carent, parùm sanè tali lectione proficiunt. Propterea Autor magnoperè tibi sum Ephemeridum hujus generis sedulò conficiendarum, diligenter in Codicillis annotando, quæ tibi quotidianas commentationes obeunti arcana lumina Divinitùs affulserint: ea in maximo pretio habendo, teque illis indignum reputando, ac tantò, ut par est, deprimendo profundius, quantò te per ista Deus dignantiùs extollit. Pone in eo sedulam & efficacem operam, ut tibi ne desit copia fidelium & perspicacium Amicorum, qui & satis oculati sint, ut quos in concionando, in audiendarum Confessionum ratione, in cæteris id genus functionibus defectùs admittis, videant; & satis liberi ut te de illis syncerè moneant, ac tu lapsus tuos per hunc modum cognitos emendes ac præcaveas, prout convenit. In sacro Confessionum audiendarum ministerio festinationem perfunctoriam vitabis, & patienter attendes negotio, quò in majorem certiolemque profectum Pœnitentes promoveas. Itaque cum sub manum venient qui & egeant & capaces opis sint, & alioqui vitæ statum satis habeant compositum, ut



ijs & libeat & vacet dare operam excolendo animo, auditis eorum culpis, ipsos iube sustinere per dies aliquot, comparando se ad veram detestationem peccatorum ex dolore Dei Omnipotentis & summè amabilis offensi. Ad hunc finem præscribe illis Commentationes pias, de Morte, de Iudicio, vel de pœnis damnatorum apud Tartarum, ex quibus intelligentes quàm atrocibus se malis implicuerint peccando, odium tædiumque pravè antehac actorum tale concipiant, ut ex contrito corde veras extundant lachrymas, & propositum emendationis, cui rectè fidi possit in vitæ consequentis durabilem innocentiam, eliciant. Hoc maximè in ijs observandum, quibus inter irritamenta peccandi, & benè operandi obstacula vitam agentibus, pro humanâ fragilitate non tutò creditur sine pignore, pollicentibus in tempus futurum meliora. Ejusmodi sunt qui graves similitates exercuere cum nondum reconciliatis Adversarijs, qui amoris flagitiosi commercia nondum sic abruperunt, ut in lubrico redituræ occasionis satis tuti à lapsu putentur: denique qui rem alienam detinentes, reddendi moras hæcētis nexuerunt.



Hos omnes post Confessionem exercebis Asceticis meditationibus ad statum ipsorum accommodatis , & sic demum , ubi satisfecisse videbuntur , absolves & dimittendo adhortaberis , ad se crebro deinceps sistendum Sacro Tribunali Pœnitentiæ . Quoties incidet ut ij quibus aures confitentibus das , pecuniæ malè partæ conscij , eam ad te deferant pro arbitratu erogandam in Pauperes , quòd ejus Domini non extent , ex eâ tu nihil unquam ad tuum aut Collegij usum , quantâvis premaris inopiâ , conferes ; ac neque arbitratu tuo personis aut familijs egentibus disperties , sed totam Præfctis Sodalitati Misericordiæ consignabis , ab illis prout videbitur dispensandam . Sic præcidetur aditus suspicionibus de te parùm honestis , & auctoritatem promovendo Dei Cultui necessariam dementibus . Eâ semper circumspectione ac prudentiâ te adhibe in congressibus & colloquijs omnis generis hominum , quibus ad bonum promovendis quotidianam navas operam , ut nullâ unquam quantâvis fiducia familiaritatis , excidat tibi loquenti vel agenti quidquam quod illi si , quod potest fieri , & tu pro eventuro habe , à te averten-

ren-



rentur, exprobrare jure possent. Hæc cautio cum ad tuum ipsius, tum ad eorum quos excolis profectum permagni momenti est. Peccata confessis cum significatione poenitentiae, & absolvi poscentibus, ne annuas antequam satisfactionem repræsentaverint, in triplici præsertim genere, odiorum, amorum, & injustæ detentionis rerum alieni juris. lube prius reconciliantem palam cum Inimicis gratiam, procul amoveant offendicula pudicitiae, iniquè occupata Dominis reponant: expleant denique si quid aliud præverti ad securitatem expediat; nec solâ promissione defungantur. nam cum hominibus horum Tractuum tam promptis & liberalibus ad obligandam Fidem, quàm ad exolvendam tardis ac fegnibus, cum arrhâ in manu transigendum est.

EPI-



## EPISTOLA X.

*Quibusdam Mercatoribus Lusitanis re-  
gens appulsis in Iapo-  
niam.*

**Q**UOD hujus inscriptio Epistolæ vestrae quibus mittitur de more nomina non præfert, minùs mirabimini cum quod res est, scietis: hanc ipsam mihi fuisse scribendi causam, ut ea cognoscerem. Oro ergò vos ne gravemini edere qui sitis? quo nomine vocetur quæ vos huc advexit navis? aveo etiam nosse Malacæ quid agatur? pacata ne illic & tranquilla cuncta reliqueritis solventes? Hac brevi ad nos rescripto, peto, dignemini exponere: atque interim quæso boni consulatis, suggerere me vobis, ut aliquantum temporis occupationi vestri negotij suffuremini quod recognitioni conscientiaë impendatis. Mihi credite, ista demùm est mercatura longè omnium quæstuosissima, ex quâ lucrum provenit haud paulò & uberius & certius, quàm ex commutatione mercium Europæarum cum velleribus aut pan-  
nis



nis sericis Sinensium ; utcumque istâ nego-  
tiatione fructus pecuniæ ipsi forti ac capi-  
ti æquetur . Cogitabam , si Deus annue-  
rit , vestris literis acceptis continuo isthuc  
excurrere ad salutandos vos . Deus Domi-  
nus Noster pro suâ Immensâ Clementiâ te-  
neat nos semper omnes suâ Divinâ manu ,  
& nos conservet in hac vitâ per suam gra-  
tiam constantes & fixos in obsequio suæ su-  
premæ Majestatis . Amen . Amangucio Kal.  
Septembris An. c101011.

Frater in Christo Vester .

*Franciscus .*

Sequentis Epistolæ inscriptio exterior  
in Autographo Archetypo Romæ servato sic  
ad verbum habet : *A my en Christo Santo*  
*Padre Ygnatio* , vnde nos ejus titulum qui se-  
quitur , expressimus .

EPI-



## EPISTOLA XI.

MEO IN CHRISTO SANCTO  
PATRI IGNATIO.  
ROMAM.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri  
adsit semper nobis auxilio &  
favore. Amen.*

**V**erissime Pater mi, accepi modò Ma-  
lacæ, huc appellens è Iaponiâ, Li-  
teras Tuæ sanctæ Caritatis. quæ quoniam  
de vitâ ac valetudine tam cari ac venera-  
bilis mihi capitis quod optabam docue-  
runt, scit Deus Dominus Noster quantâ  
meum animum voluptate compleverint.  
Multas equidem in ijs iucundè legi suavi-  
tatem spirantes tuam pietatemque senten-  
tias; quas & identidem, fructu animi mei  
præcipuo, retracto mente versans, & quo-  
dammodo regusto; præsertim autem illa  
extrema verba, quibus velut caritatis quo-  
dam sigillo Epistolam obsignasti. *Totus  
tuus, adeo ut nullo umquam tempore obli-  
visci tui possim. Ignatius.* quæ ego ut  
illuc



illic cum dulcissimis lachrymis legi, ita & flens hîc describo, revocans suavissimam memoriam temporis elapsi, & illius sinceri ac Sancti Amoris, quo me semper amplexus, nunc quoque prosequeris; prætereaque reputans, me ex tot illis atque ingentibus laboribus periculisque Iaponiæ, à Deo, tuis potissimum precibus inflexo, votisque in me paternis obsecundante, fuisse liberatum.

Numquam exprimere scribendo possem quantum debeam Iaponibus: quandoquidem in eorum gratiam Dominus Noster clarâ me notitiâ intimè imbuit innumerabilium culparum mearum. Nam hætenus evagans extra me, quamdam velut abyssum malorum in meâ conscientiâ penitus conditam non perspexeram: quoad in illis ærumnis & angoribus Iaponiæ, apertis aliquando mentis oculis, dedit mihi Bonus Dominus manifestè cernere, ac quasi præsentis experientiæ sensu tangere, quàm valdè necessarium mihi sit existere aliquem qui perattentam perque sedulam mei curam gerat. Videat igitur quid agat Tua Sancta Caritas, dum tam Sanctas Animas Patrum ac Fratrum Societatis  
qui



qui in his degunt regionibus, gubernationi meæ subijcis: mihi vero per solam Dei Misericordiam modò evidenter innouit; tam malè me paratum rebus ad istam Præfecturam benè fungendam necessarijs, ut sperare potius debuerim commendari me à Te curæ ac Providentiæ Fratrum meorum, quàm ipsos mihi committi regendos. Adiungit deinde Tua Sancta Caritas, ingenti desiderio teneri Te videnti me adhuc semel ante finem huius vitæ. Novit qui mei pectoris intima pervidet Dominus Noster, quàm vehementem quamque dulcè impressionem teneri affectûs animo penitùs meo insinuaverit hæc ita blanda significatio præstantis amoris erga me tui. Equidem quoties tua illa verba mente reputo (reputo autem sæpissimè) iniustæ mihi lachrymæ oculos complent: nec possunt teneri quin suaviter erumpant ad solam illam mihi iucundissimam speciem quæ obversatur cogitanti, fieri posse ut te iterùm amplectar: quod etsi video difficillimum; tamen nihil est quod Sancta Obedientia efficere nequeat. Per studium quo ardenti flagras obsequendi ac gratificandi Deo Domino

No-



NOVARVM EPIST.Lib.5. 447

Nostro , unam à Te peto gratiam , quam ,  
 si præsens adesset , positus humi ante  
 tuos sanctos pedes genibus supplex roga-  
 rem ; ea autem est , ut hùc mittas virum  
 aliquem Tuæ Sanctæ Caritati penitus per-  
 spectum & plane probatum , Rectorem  
 præficiendum Collegio Goano . nam ho-  
 mine quem Tu elegeris , quemque ma-  
 nu , ut sic dicam , istâ tuâ idoneum for-  
 maveris , vehementer eget id Collegium .  
 Cur omninò arbitrer necessarium destina-  
 ri hùc à Te viros præstantes & supra  
 vulgarem modum Virtute ac Doctrina  
 præditos , ad Academies Japoniæ mitten-  
 dos , hæc causa est . quoniam qui sunt il-  
 lic expertes Literarum , sed alioqui pru-  
 dentes homines ; cum de suis erroribus  
 convincuntur , eò se recipiunt , ut di-  
 cant ; esse in suâ quoque Gente Docto-  
 rum Virorum copiam , qui totam vitam  
 exquisitis commentationibus & infinitâ le-  
 ctione transfecerunt . Eos , quoniam quæ  
 nos affirmamus , pernegant , prius esse  
 revincendos adiungendosque nobis ; ut sic  
 rectè possint , qui eorum autoritate nitun-  
 tur , & ipsi accedere . En cur Literis  
 ac Doctrinâ opus sit . Constantia vero ac

pa-



patientia insignis virtutumque cunctarum  
 cumulus, plane requiritur in ijs qui tan-  
 tis se dimicationibus obiecturi sunt. Ve-  
 nient siquidem pauci & inopes Advenz  
 contra nomen universum ac famam glo-  
 riosæ, ac multâ sui rerumque suarum  
 admiratione subnixæ Nationis, quæ tota  
 in ditione Bonziorutu est, primas illic di-  
 gnitatis existimationisque tenentium. quod  
 qui audeant, palàm est multa passuros,  
 ubi eos vndique quos irritaverint Crabro-  
 nes inceserint; neque laturos impunè, si-  
 mul, quod primum & necessariò facien-  
 dum, Bonziorum Sophismata dissolve-  
 rint, mendacia redarguerint, sordes &  
 arcanas artes, quibus Plebem credulam  
 pecuniâ erungunt, in lucem protrahere  
 publicam ceperint. Equidem ex ijs que  
 sum expertus illic præsens, videre jam  
 hinc videor, vâsani Sacrificuli quam im-  
 potenter erupturi sint, cum aderit co-  
 ràm, qui negare in os ipsis sustineat:  
 posse illos, quod gloriantur, arcanis fa-  
 cris, eruere flammis, addictas jam Orco  
 animas: cuius ridiculæ iactantiæ, si pa-  
 làm falsitas coarguatur, quæstus eorum  
 pars maxima perierit. cum verò Sodo-  
 miti-



mitica flagitia ; quam illi abominandam  
 obscœnitatem in ludi ac propè laudis par-  
 te numerant , meritis obiurgationum acu-  
 leis configentur , nempe istos velut com-  
 punctos stimulo in suis lutulentis lacunis  
 immanes apros , ruituros impetu vāsano  
 ad eos dirumpendos , qui Margaritas an-  
 te ipsos proiecerint , est consentaneum .  
 Quare , vt dixi , horum hisque similiarum  
 promulgatores illic dogmatum , deesse  
 non poterit , quin acriter oppugnentur ,  
 dirèque vexentur , ut animæ ipsis suæ ,  
 iuxta Evangelicum Verbum , in suâ sibi  
 duntaxat possidendæ patientiâ sint : quâ  
 propterea egregiè instructos , firmitèrque  
 præmunitos esse oportet , qui ad ea discrimina  
 se obijcient . Scribo itaque ad Pa-  
 trem Simonem , aut eo absente ad Recto-  
 rem Collegij Conimbricensis , ne ullos huc  
 ad Iaponicas Academias ituros mittat , quos  
 Tua Sancta Caritas non viderit , planèque  
 perspectos probaverit . Iterùm atque ite-  
 rùm dico ; maioribus quàm vulgò credi-  
 tur certaminibus & ærumnis exercebuntur .  
 Adibuntur importunissimè : nullam diei ,  
 nec interdum noctis horam à molestissi-  
 mis interpellatoribus vacuam habebunt : in-



interrogationibus alijs super alias sine fine  
 urgebuntur : vocabuntur à principibus Vi-  
 ris , quibus negare nefas fit . Subtrahetur  
 per hæc quotidianis Orationibus , Medita-  
 tionibus , receptui mentis ad Deum , &  
 Spiritualibus id genus Exercitijs tempus  
 non vacabit Missam celebrare . Saltem  
 primis , quibus ibi conspici cœperint die-  
 bus , præ turba Sciscitantium , quos repe-  
 lere non expedit , vix persolvendi pen-  
 Ecclesiasticarum precum , vix cibi somni-  
 que capiendi spatium erit . Nationis id  
 vitium ejus est , nullâ verecundiâ nego-  
 tium facessere , hospitibus præsertim &  
 peregrè appulsis , qualibus ferè contem-  
 ptim vtuntur , & protervè illudunt ; etiam  
 innoxijs , & nullâ re molestis . quod si  
 jam iidem , quæ Japonijs sunt sanctissi-  
 ma , insectari & incomitari audeant ; si  
 in Sectas superstitionum invehantur ; si vi-  
 tia publica sale satyrico non parcè defri-  
 cent , virgulâ censoriâ non perfunctoriè  
 feriant : simul præfractè negaverint eos  
 qui semel Infernis addicti sint ignibus , ex  
 ijs ullo posse piaculo , ullâ viventium  
 amicorum aut parentum largitione aut re-  
 ligione liberari ; magnam statim procel-  
 lam



lam invidiæ subeant necesse est, indigna-  
 turo passim optimo quoque in eos, qui  
 de Carorum ipsis jam defanctorum anima-  
 bus tam durè sentiant; plerisque novam  
 Religionem velut infirmam imperfectam-  
 que contempturis, quod vltro fateatur:  
 nihil se remedij semel damnatis habere  
 quod afferat. Talium curæ rerum & huius  
 generis ibi quæstiones agitantur, idcirco  
 quod in illius Gentis literis & traditioni-  
 bus antiquis multa Inferni mentio est:  
 Purgatorij, admodum nulla. Hæc cum  
 ita sint, res ipsa loquitur, opus illic es-  
 se robustis ingenijs, exercitatis in diale-  
 cticâ, populari facundiâ disertis, agili-  
 bus ad quocumque sequendum & præver-  
 tendum errantes. qui plausibiliter valeant  
 fucatis veri specie mendacijs larvam detra-  
 here, retexendis sophisticis argumentatio-  
 nibus, & falsorum dogmatum inconstantiâ,  
 ac secum collisione demonstrandâ. Eru-  
 bescent enim & incredibiliter confundun-  
 tur isti Bonzj, vbi malè coherere ac pu-  
 gnare inter se se ea quæ docent, palam  
 ostenditur; aut quando ita constringun-  
 tur ratiocinatione necessariâ, ut expedire  
 se nequeant. Ad has dotes animorum,



accedat oportet robur corporum , par fe-  
 rendis algoribus rigidissimarum hyemum.  
 Nam Bandus , Academiarum Iaponiarum  
 primaria , in partibus earum Insularum  
 maximè septentrionalibus sita est . nec mul-  
 tum inde absunt Academiæ cæteræ , com-  
 pertumque illic est , solertiâ ingenioque  
 ferè præstare , qui sub Cælo frigidiori na-  
 scuntur . Victum quod attinet , unica fe-  
 rè oryza annonam conficit : etsi reperitur  
 & aliquantum tritici , nonnullaque olera ,  
 legumina , cibique ejus generis , tenuis  
 omnes , nec valdè salubris , succi . vinum  
 aliud non habent , quam quod ex oryza  
 exprimunt arte quadam , perrarum , &  
 idcirco supra modum carum . Maximum  
 tamen incommodorum est anxietas con-  
 tinua in periculis vitæ quotidianis . Non  
 sunt apti ad huius terræ culturam senes ,  
 vtique quibus deessent vires ad necessarios  
 labores ; nec adolescentes , nisi si quibus  
 defectum ætatis , virtutum magnitudo ma-  
 nifestis experimentis perspectarum , supple-  
 ret : alioqui potius quàm alijs profint , se  
 ipsos perdent . Peccatorum omnis gene-  
 ris irritamenta illic & occasiones sunt .  
 Præterea teneriores ibi quam usquam ani-  
 mi



mi hominum facillimè offenduntur quavis specie minus recti exempli, in ijs extante qui se aliorum Censores ferunt. Hæc ita minutim, ut dixi, scribo Magistro Simoni, aut ejus vice Reçtori Conimbriensi. Gratissimum mihi esset si Tua Sancta Caritas scribere Conimbriam dignaretur, ut quos destinarent in Iaponiam, prius ad te Romam mitterent. Veniebat mihi in mentem: aptos ad eam expeditionem videri fore Belgas, aut Germanos, qui Castellanam aut Lusitanam Linguas noscent. Vtrumque id genus tolerans laborum est, tum naturali habitu & educationis usu duratum ad patientiam Bandensium frigorum. Verisimile putabam non paucos ex hisce Nationibus duabus, in varijs Hispaniæ Collegijs, & Italiæ vivere, in quibus forte multum utiles non sint: quod nativâ elegantia popularis linguæ careant; qui si transferrentur in Iaponiam, excellenter ibi operam navarent, & magnis se fructibus commendarent. Putavi præterea suggerendum Sanctæ Caritati Tuæ, ut, si tibi videretur, iuberet haberi severiorem delectum eorum, qui ex Collegijs Hispaniæ, & Lusitaniæ



mittuntur in Indiam, ibi victuri. Præstaret duos tantum anno quolibet huc solvere, dum tales essent, quales hæ regiones requirunt, primùm satis provectos in perfectione spirituali; postea & Doctrinâ; & facundiâ præditos quantum opus est ad concionandum, & Confessiones audiendas. Et hos cuperem tuo iussu peregrinari Romam, antequam ad nos navigent. Nam & istæ itinerum probationes ad eos formandos conferunt: quid possint ipsis ostendunt; ad labores durant; adversus pericula futura, præteritorum innoxie aditorum recordatione, confirmant. Denique sic consequemur, ut hic in concursationum Apostolicarum sudoribus novi non sint: quales deprehenduntur qui sedentes huc nave delati è patriâ, unde nunquam exierunt, campestrium laborum, & pedestrium peregrinationum usum nullum habent. Sane tot hinc illecebæ ad mollitiem, tanta tamque pellacia, non modo ad cessationem, atque desidiam, sed etiam ad nequitiam invitamenta sunt, ut eorum virtus qui hisce animarum periculis obijciendi sunt, exquisitis prius experimentis probanda videatur;

ne



ne si qui minus idonei obrepserint , prosperatâ nobis consolatione ipsorum adventûs & convictûs , negotium potius molestissimum facessant , ea committentes , ob quâ ipsos è Societate amandare sit necessesse . De his videat quæso Tua Sancta Caritas , an è re sit Magistrum Simonem per Te admoneri . Neque qui è Societate nunc sunt Amangucij , neque qui , cum hîc jam versentur in Indijs , anno proximo , vel alijs consequentibus , si Deus volet , in Iaponiam ituri sunt , idonei mihi videntur , qui mittantur ad illas Academias . Verum hi vacabunt interim addiscendæ linguæ , cognoscendisque Dogmatibus Sectarum , ut cum venerint ex Europâ , quos expectamus è sinu tuo Patres , Domesticis ipsis & fîdis uti possint interpretibus in concertationibus adversus Bonzios . Verisimilis mihi spes est profecturam plurimum , & largè amplificandam Amangucianam Ecclesiam . Sunt enim jam ibi Christiani multi , & inter illos non pauci valdè boni ; ac novi quotidie plurimi Catechizantur , & baptizantur . Vivo in spe magnâ , fore ut Deus Dominus Noster nobis servet Patrem Cœsum .



Turrianum, & Ioannem Fernandez, ne  
 finat ab Idololatriis interfici, primum  
 quia prima, & presentissima periculorum  
 iam videntur evasisse, furij illis Bonzio-  
 rum primam offensione inflammatis, mori  
 dehinc mitigatis, & sensim consensenti-  
 bus. Deinde quia multi, ut dixi, ibi  
 Christiani sunt, & inter eos non pauci  
 dignitate & autoritate praestantes, qui  
 magno studio invigilant diu, nocturne  
 conservationi Nostrorum. Ioannes Fer-  
 nandez, etsi nihil nisi Laicus est; ta-  
 men, quod expedite utitur lingua Iapo-  
 nicam, & quidquid illi suggerit Pater Col-  
 mus Turrianus, apte ac disertè in eam  
 transfert, utilissimus est illic. Nunc to-  
 tus est in explicandis, quotidianam ad po-  
 pulum dictione, omnibus Mysterijs vite  
 Christi. Quoniam eam perspexi in Iapo-  
 nibus indolem, ut & Religionem Chri-  
 stianam satis ipsis ostensam facile probatu-  
 ri, & semel susceptam tuituri constantè  
 atque in Posteris perpetuaturi videantur,  
 in eorum culturam quantosvis labores bene  
 collocatos puto. Quo in sensu reficit ac  
 consolatur me spes quam in Tuam Sanctam  
 Caritate repositam habeo, confidere me



iubens mittendos huc à Te Sanctos aliquos Patres , quos rectè Iaponicarum superstitionum Magistris possimus opponere . Id faciendi præcipua tibi causa sit excellentia , quædam Nationis Iaponicæ mihi perspecta suprâ cæteras hætenus in hisce Tractibus detectas . In quarum nullâ , quæ quidem suis legibus vivat , & Regi Lusitaniæ non sit subdita , satis verisimiliter videtur sperari posse Christi Religionem perenni firmitate radicandam . Vna ex omnibus , & sola , quantum scio , Iaponia videtur inconcussam , æternamque servatura Christianæ Sanctitatis Professionem , si eam semel arripuerit : quod utique non sine ingentibus Evangelicorum Præconum ærumnis , ac contentionibus eventurum est . Sina , quæ Regio est patens latissimè , pacatissima , temperata magno numero exquisitarum legum ; uni paret Monarchæ , cui ad nutum obeditur . Opulentissimum est Regnum , cunctis ad vitam humanam necessarijs abundans . Fretò modico dirimitur à Iaponiâ . Gens pollet ingenio , & studijs insudat , legum præsertim , & Iurisprudentiæ humanæ , Politicæque rationis , cuius exquisitè pernoscenda

da



dae ingenti plerique cupiditate flagrant. Vultus illis candidi, imberbes, oculi parvi. Liberalis plerisque indoles, paces in primis gaudent, quae fundatissima, sine ullo belli metu, inter ipsos viget. Nisi quid novi obstaculi supervenerit quod iter destinatum intervertat, spero me hoc anno, secundo & quinquagesimo supra sexcentis millesimum, navigaturum ad Sinas, quae me vocat spes operae ad ingens Dei obsequium navandae, in magnam utilitatem cum Sinicae Gentis, tum Iaponicae. Nam simul innotuerit Iaponibus, Sinas Christi Legem fuisse amplexos, verisimile est multum illos remissuros de pertinacia, quam pravis suis sectis adherent. Adeoque magna me spes tenet, tam Sinas, quam Iaponios operam Societatis a suis Idololatricis superstitionibus abductos, adoraturos Christum IESUM omnium Gentium Salvatorem. Obiter quiddam referam quod in usu mutuo istarum Gentium singulare, ac mirum observatur. Sinica, & Iaponicae diversae linguae sunt; adeo ut qui ijs utuntur invicem non intelligant: quod tamen Sina scripserit, legit, & percipit literatus Iapon; sed cum sono scriptum exprimit,



mit , ne ab ipso quidem scriptore , si præ-  
 sens adsit , quid dicat cognoscitur . Nem-  
 pe literæ Sinicæ non vocis humanæ sonos  
 varios , ut nostri literarum characteres ,  
 sed res protinus ipsas exprimunt ; ideoque  
 sunt innumerabiles ? Discunt autem , qui  
 Doctrinæ nomen affectant Iapones , litera-  
 rum istarum potestatem ; hoc est , non  
 quod verbum aut vocabulum indicent ; sed  
 quam rem designent . Sublevando autem  
 Elementariorum , & Magistrorum labori  
 hoc excogitarunt compendium . Propo-  
 nunt in tabulâ literas Sinicas , cuique im-  
 ponendo pictam effigiem ipsius rei , quam  
 significat . Exempli gratia , qui character  
 homini designando institutus est , ei forma  
 expressa hominis incumbit . Sic in cæte-  
 ris . Inde fit ut admoniti conspectu signi  
 Iapones lectores , easdem quidem res co-  
 gitationi subjiciant , quas Sina scriptor in  
 mente habuit ; sed dum voce quod le-  
 gunt efferunt , vocabula Iaponica res illas  
 denotantia pronuncient : quæ Sinæ audien-  
 tes , quid sibi velint prorsus nesciunt : uti  
 nec vicissim si coram Iapone Sina eam-  
 dem scripturam voce adhibitâ legens ex-  
 primat , Iapon haud intelliget quid ver-  
 ba



ba sonent . Scripsimus linguâ Iaponicâ librum explicantem Origines Mundi , & cuncta vitæ Christi Mysteria . Eundemque deinde librum Sinicis characteribus descripsimus , quod exemplar cogitamus ferre nobiscum euntes ad Sinas ; ut interim dum linguæ notitiam paramus , specimen possimus dare Sinis scripto ipsis noto expressum eorum quæ afferimus . Oro , atque obsecro Sanctam Caritatem Tuam , per quo Deum Amore prosequeris , quoque ejus obsequij studio flagras , fac tam ipse Tu , quam universa Societas , quotidianis me Vestris Sacrificijs , & precibus Deo impensè commendetis . Peto inquam & rogo , interprete ac conciliatrice Sanctæ Caritate Tuâ , Patrum omnium , præsertim Professorum , procurari mihi suffragia , & efficaces intercessionem ad communem Dominum , quæ iunctæ cum totius militantis Ecclesiæ meritis , cumque precibus omnium Beatorum , qui dum viverent de Societate fuerant , & cum universæ triumphantis Ecclesiæ conspirantibus in idem votis , impetrent mihi à Deo Domino Nostro gratiam intelligendi clarè in hac vitâ quid Sanctissima ejus Voluntas à  
me



me opter, simulque auxilium ac vires, integre ac perfecte, quidquid innuet aut injungeret exequendi. Cocino IV. Kal. Februarij Anno CIOCLII.

Minimus filius, idemque in exilio maximo.

*Franciscus.*

EPISTOLA XII.

P. PAVLO SOCIETATIS

I E S V.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
adsint semper nobis auxilio &  
favore. Amen.*

**P**ater Paule, ad te isthuc proficiscuntur Manuel de Morales & Franciscus Gonzalez. Simul advenerint, visis meis hisce literis, convenies Dominum Episcopum in suo Palatio Episcopali, dicesque ipsi: te reddere ac restituere Dominationi ejus priorem horum, hominem ratione Sacerdotalis Ordinis ipsi peculiar-



liariter subditum , nec jam obligatum ulli  
 Religiosæ Familiæ Obedientiâ ; quippe cum  
 per me , prout literis ad te datis significaverim ,  
 votis ritè solutus , & à Societate abdicatus sit .  
 quare homine talentis ad Ecclesiastica ministeria  
 non inutilibus prædoto , utatur deinceps pro  
 arbitrio , plene jure ; utique cum eum à suo corpore  
 rejectum , & in manus ejus repositum Societas  
 IESV liberæ ipsius potestati permittat .  
 Ipsi postea Manuëli de Morales declarabis  
 te illum , prout à me per literas jussus sis ,  
 è Societate dimittere . Amandabis similiter  
 Franciscum Gonzalem ; & huic quoque denunciabis  
 suas sibi res habeat in posterum seorsum à nobis ;  
 nec hos diversari de cætero in Collegio fines ,  
 aut ullam communicationem , etiam consuetudinis  
 & colloquij , habere cum nostris . Molestissimum  
 mihi est ea istos commisisse quæ necessarias  
 mihi causas afferunt ad hoc extremum consilium  
 veniendi . Sed quod me magis angit , malè metuo ,  
 ne non in his duobus solis desitura porrò sit  
 istiusmodi animadversio . Scit Dominus Deus  
 Noster quàm acri confossus intimè cordolio  
 hanc Epistolam scribam . Existimaveram  
 huc



huc rediens inventurum me aliquam requiem à multis quos peregrè nuper exantlavi laboribus nunc vice solatij, acerbiores molestiæ occurrunt, litium vitiosâ perturbatione commissarum, contentionum, discidorumque à populo in offensionem publicam erumpentium. non hæc scilicet absens mandaveram. Sed, quantum reperio, vel exigua, vel nulla Obedientia in quibusdam est. Laudetur in omnibus Deus semper. Melchiori Gonzalez mandabis, scriptis Bazañum, ubi est, literis, ut continuò inde Goam veniat; sic enim pro potestate me jubere. Balthasarem Nuñezium testo excipies & ibi tenebis usque ad meum isthuc adventum. Adolescentem isthuc proficiscentem, cui Thomas Gonzalez nomen est, non admittes Domum antequam ego advenerim. Dicas interim illi: si Deo servire in Societate velit, conferat se in Nosocomium, ibique infirmis ministret quoad Goam perveniam, quod brevi, Deo juvante, futurum spero. Adi à me Dominum Episcopum, eique manus meâ vice osculare, ac dices: majorem in modum cupere me sisti quamprimùm Dominationi ejus Illustrissimæ, spe-



sperando suavem animi fructum ac consolacionem ex ejus dulcissimo congressu. Tum me significaturum ipsi quantum me obstrictum sentiam favoribus & beneficijs ejus tantis, ut is pro merito æstimandis, ne dum rependendis, me ultrò profitear imparem. Summo teneor desiderio Fratres isthic omnes meos revifendi, Patres præsertim, è quorum colloquio consolacionem expecto non modicam. Valente Cocino, pridie Nonas Februarij Anno MDCLII.

Totus Vester in Christo.

*Franciscus*

EPISTOLA XIII.

P. MELCHIORI NUNNEZIO  
 SOCIETATIS IESV;  
 BAZAINVM.

**E**Go Franciscus perspectam habens tuam Melchior Nunnezi, virtutem ac prudentiam, & ei satis fidens, subesse tibi jubeo Domum istam Bazainensem; ac pro-  
 pote-



potestate mando, ut & istius universæ Familiæ regendæ, & recipiendorum administrandorumque Vestigalium, alendis per varia loca Socijs isthic assignatorum, curam suscipias: imperans, ut ex quo primùm die istius à me tibi commissæ Præfecturæ ritè possessionem adieris, non solum qui Fratres aut Patres Bazaini degunt te Rectorem agnoscant, tibi que ut tali ad nutum obediant; sed etiam quicumque deinceps Socij quavis occasione isthac transibunt, Dium aut alia loca petentes, interim dum isthic erunt tuæ ditioni subjecti sint. nisi si quem aut ego, quod ex meo Chirographo constet, aut Rector hujus Goanæ Domus, Sanctæ Fidei (cui, me absente, sicut Patri Ignatio obtemperabis) tuo imperio exemerimus. Ita ex animi mei sententiâ statuo: & in hujus meæ voluntatis indicium ac fidem, huic chartæ manu propriâ subscribo. Goæ in Collegio Sancti Pauli, pridie Kalendas Martias Anno CIOIOLII.

*Franciscus.*

Apponam hîc monita & mandata.  
Ge quo-



quorum ductu regimen te istud exercere  
 pervelim . Incipiam à curâ Vectigalium,  
 quæ Rex , aut ejus nomine Prætores India  
 percipienda Societati liberaliter attribue-  
 runt , non solùm in usum Bazaïni degen-  
 tium Sociorum ; sed & eorum qui in hac  
 Domo Goanâ habitant , atque in Stationi-  
 bus huic subjectis . Circa hæc primùm  
 volo te diligenter inire rationes cum no-  
 stro Melchiorè Gonzale qui collectioni &  
 dispensationi istiusmodi censuum longo jam  
 tempore præfuit , exactè ab eo resciendo,  
 quantum ejus pecuniæ acceperit , vel accep-  
 to tulerit , quantum in nominibus reli-  
 querit . Ac quidquid ejus compereris per-  
 scribe-sis ad me distinctè : scire enim  
 avelo ; præsertim autem summâ fide pro-  
 fitere , quantum idem Gonzalez Tibi præ-  
 fecturam ineunti numeratò consignaverit .  
 Iam in expensione pecuniæ istius magnam  
 te habere rationem par est necessitatum  
 Sociorum hîc degentium , & hujus Goanæ  
 Domûs are alieno pressæ , tum Sedium  
 Cocinensis , Colanensis , Comorinensis,  
 quæ omnes vitæ subsidia Goâ trahunt , aut  
 potiùs expectant . Sapiùs enim miseri po-  
 stulant , quàm impetrant . & plerumque  
 con-



conflictari longâ inopiâ coguntur . quod  
 me intimè consciùm ipsorum egestatis, peni-  
 tûs excruciat . etsi enim , pro suâ cæterâ  
 munificentîâ , Rex propria illis quæpiam sub-  
 sidia decrevit , tamen ea ferè non solvun-  
 tur , ob difficultates ærarij ; Fiscalibus cen-  
 sibus per illos tractûs malignè provenienti-  
 bus . Quocirca æquum censeo te sic ex  
 isthic perceptis aut percipiendis annuis re-  
 ditibus sumptum facere in nostrorum qui  
 tecum vivunt alimenta , & vestitum , ut  
 ultra meram necessitatem in eo non pro-  
 deas : sed ( per Dei obsequium & carita-  
 tem oro te ) reputes , quàm non sit consen-  
 taneum , te & tuos , quod fonti assideatis ,  
 redundare superfluis , dum Fratres Vestri ,  
 quoniam procul pondus ferunt æstûs &  
 diei , utcumque indidem aquandi jus ha-  
 beant , miserîâ & squallore consenescere .  
 Fac igitur obsecro te , quantum , res etiam  
 vivum resecando , poteris consequi , ut  
 quamplurimum ex usu vestro istius pecuniæ  
 supersit , quod opportunè subministres Goa-  
 ni hujus Curatoribus Collegij , unde ipsi  
 subveniant Socijs in Comorino Promonto-  
 rio , Colani & Cocini Regnum Dei promo-  
 ventibus conatu & ærumnâ maximis : Er-



gò si cujus isthic fabricæ moliendæ cogitatio nascatur, cave suscipias, nisi planè perspexeris inevitabiliter necessariam. Præterea in quotidiano victu, tuo, nostrorum & Alumnorum Seminarij, frugalitatem adhibe, cui expensâ quàm minima sit satis. In quo tamen adverte; me per hæc paronomiam usque ad fordes odiosam importunamque non præcipere: apage id quidem, quin planè veto, quidquam omnino subtrahi veris necessitatibus Domûs & Familiæ istius. Tantùm peto, ut ratione & commiseratione habitâ inopiæ extremæ quâ premuntur, in Orâ præsertim Comorinensi, Operarij Evangelici, redigat se intra fines arctæ sufficientiæ Vestra Caritas, tantisper dum aliundè consulatur illi afflictissimæ Ecclesiæ, in quâ (quod flens memoro) tot parvuli sine Baptismo moriuntur, idcirco quia deest unde miserrimo illic sustententur victu Sacerdotes Nostri, qui si adessent, & prout est opus, concursando assiduè lustrarent illa infelicissima mapalia, temporè occurrerent, Infantibus ante Christo regenerandis, quàm vitâ decederent. De modo exigendi vectigalia hoc in mentem veniebat admonere. non videtur expedire, ut

ea



ea per te ipsum, aut per ullum è nostris exigantur. Sed utendum ad hoc operâ unius aut plurium Amicorum Laici Ordinis, quos quasi Procuratores tuâ vice constituas. In horum delectu habeatur primùm ratio probitatis & Religionis; ut ij sint qui in vitæ usu iusti & æqui habeantur, & veræ in Deum pietatis specimen, edant frequentandis Pœnitentiæ Euchari- sticæque Sacramentis; qualibus etiam conveniret pias aliquot Commentationes, ex ijs quæ ad primam Spiritualium Exercitiorum Hebdomadem pertinent, à vobis tradi. Cuperem deinde copiosos & Domi locu- pletes homines, si talium idoneorum adef- set copia, ad munus istud legi. Ad hos tenuibus in hoc genere præoptandos hæc me potissimùm movet ratio. Non exigua pars hujusmodi censuum corrogatur è ple- be inopi Opificum agrè diurno manupre- tio victitantium. Hi plerumque, cum, ut fit, ad diem solvendo non sunt, nisi Exactores vectigalium moram indulgeant, damno suo maximo vexantur. Eam facile gratiam impetrent à divitibus, præsertim, Viris bonis, & ad Misericordiam propen- sis; qui è re amplâ domesticâ, nullo incom-



modo, in antecessum conferre valent quod  
 mox recipiant. Angusti à re familiari fo-  
 rè sunt ad talia inexorabiles, & jure sum-  
 mo agunt, pignerantes & prensantes acer-  
 bè debitores miseros, si quando in nume-  
 rato non habeant unde ad præfixum ter-  
 minum solvant. Super omnia, per quan-  
 tum obsequi ac gratificari Deo Domino stu-  
 des, oro & obsecro te, cave ne in offen-  
 sionem cujusquam incurras, aut justam  
 præbeas occasionem querelarum. Id affe-  
 quèris si te demissè modestum & ab omni  
 specie fastûs alienissimum semper populus  
 observaverit. quare auspiciari Præfecturam  
 edendis publicè tui depressionis exemplis  
 debes, obeundis palàm omnis generis offi-  
 cijs humilibus, in Nosocomijs, in Custo-  
 dijs, ministrando egenis, rudi plebe ac  
 pueris docendis. Hæc in primis popula-  
 ria amorem in te multitudinis accendent.  
 Porrò quos tui amor præoccupaverit, il-  
 laud temerè interpretabuntur in partem  
 sequiorem Acta tua dictave. Vide autem,  
 ne sic benè auspicato tibi, præproperâ fidi-  
 cia successuum primorum perseverandi ta-  
 dium oggerat: quin longanimiter contem-  
 de, ut ex bono in melius proficias, &  
 id



id te facturum autumet populus . nam si remiseris industriam , non consistes in lo- lo quæsitæ gratiæ , sed altiùs quàm emer- seras corrues . utique cum in eiusmodi qui desinit progredi , retrò vel invitus rapiatur .

## EPISTOLA XIV.

CVIDAM E SOCIETATE IESV

ARMVZIÆ DEGENTI.

*Gratia & Amor Christi Domini Nostri  
adsit semper nobis auxilio &  
favore . Amen .*

**S**Cit Deus Dominus Noster quantò mal- lem te alloqui præsentem , quàm ab- senti scribere . Plurima quippe sunt quæ verbo coràm , multò & brevius & effica- ciùs transiguntur , quàm lento & ad subi- ta exceptionum muto commercio literarum . Iuvit quidem audire à recens isthinc pro- fectis quæ de te referunt : sed aliquantò plus juvisset accipere ab iisdem Epistolam à te datam quâ rationem redderes fructus

Gg 4

quem



quem isthic facis , aut ut castigatius lo-  
 quar , quem per te Deus facit , quemque  
 faceret , si satis posset tibi fidere ; sed  
 omittere cogitur propter obstacula culpa-  
 rum & defectuum tuorum , quæ ipsius de-  
 fiderijs opponis . Hæc nempe impediunt  
 ne per te se manifestet . Cujus impedi-  
 menti accusare te ipsum assiduè deberes  
 doleréque cum pudore ac Pœnitentiâ , quòd  
 vitio tuo non sis aptum in Dei manu In-  
 strumentum ad magna & præclara quæ pa-  
 rat ; damno ingenti , & uni tibi imputa-  
 bili , tum gloriæ majoris ad ipsum , ni-  
 per te stare , redituræ ; tum multò uberio-  
 ris extituri fructûs animarum quibus curan-  
 dis vacas : in quas ò quanta Dei dona &  
 Cœlestes favores intercipis , eo solo quòd  
 talis non es qualem esse par fuerat ! Qua-  
 re memento , sollicitè tecum reputare  
 quàm severè ratio in supremo judicio re-  
 petenda sit à Te bonorum quæ Deus fieri  
 velle & facere paratus est ; sed ea ne  
 faciat , tu impedis . Hoc tibi pro potesta-  
 te impero , ut Domino Proëpiscopo te  
 valdè obedientem præbeas . ut non nisi eo  
 probante ac volente concioneris , Confes-  
 siones audias , Missam celebres . & adverte  
 hoc



hoc non à me confuli, sed mandari; atque adeo in virtute Sanctæ Obœdientiæ prohiberi, ne quacumque tandem ex causâ discidium cum Proœpiscopo facias, aut simultatem unquam ullam cum illo suscipias. quod tranquillè ac cum bonâ ejus gratiâ poteris efficere, in hoc incumbere. confido enim eum, pro meâ de virtute ac caritate ipsius opinione, si te humilem ac moderatum viderit, promptiorem fore ad liberaliter concedendum quod opus fuerit, quàm te ipsum ad petendum. Alijs Sacerdotibus multam exhibebis venerationem, ac reverentiam. cavebis autem diligenter ne quemquam eorum spernas, aut ullâ contemptus specie offendas. Amicos omnes habe: præluce ijs exemplo obœdienti Proœpiscopo, sic imitatione Sacerdotum pariter omnium condiscet Populus plenam atque integram, quam Pastori suo Proœpiscopo debet, obœdientiam. Atque hunc exempli fructum tanti velim æstimes, ut planè statuas, te præeundo cunctis, specimine humilitatis & obœdientiæ, longè plus quàm concionando proficere. Cave singularitatem affectes, ostentando te Mundo & auram captando popularem; quin potius

tius



tius ab omni ambitu celebritatis ac fama  
 vanæ abhorrere te demonstra . Multis è  
 Nostrâ Societate multum nocuit ista ja-  
 ctantia & studium arrogans singulariter  
 eminendi . Multos è Societate dimisi ex  
 quo è Iaponiâ redij , quia eos isto vitio  
 inter alia infectos reperi . Attende tibi ac  
 sollicitè cave ne quid committas ob quod  
 tu quoque dimittaris . Vt eâ quâ par est  
 animi demissione in Societate vivas , te-  
 cum reputa : quantò tu Societate plus  
 egeas , quàm Societas Te . Propterea vi-  
 gila semper , nec Tui unquam obliviscere .  
 nam immemor sui , qui speretur memor  
 futurus aliorum ? Hos tibi versus exaro-  
 dictante amore tui vero synceroque , infi-  
 gantibus lævis hîc increbrescentibus nun-  
 ciji : haud tantum in te modestæ demis-  
 sionis , tantum obedientiæ conspici , quan-  
 to esset opus ad publicum isthic exem-  
 plum . Mandavi Magistro Gaspari , ut ad  
 te scriberet . causa mandandi fuit , quod  
 cum is usum magnum istius Gentis atque  
 urbis , commoratione ibi longâ , parave-  
 rit , sperabam posse illum tibi opportuna  
 & perutilia suggerere ad rem illic geren-  
 dam , prout ad majus Dei Domini No-  
 stri



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 475

stri obsequium expedit . quocirca literis  
 ejus par autoritatis pondus ac meis tri-  
 bues ; quin iis sic tanquam à me scri-  
 ptis deferas , & quod præcipient exequa-  
 ris , jubeo . ne tractationi Matrimoniorum  
 intricari te sinas , moneo ; neve illos qui  
 raptu Conjuges pararunt , absolvas un-  
 quam sine expresso mandato ac bonâ veniâ  
 Proëpiscopi . & hoc ut ita facias , man-  
 do tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ .  
 Quando Magister Gaspar ivit Armuziam .  
 certas illi Regulas præscripsi , quarum il-  
 lic ductum sequeretur . Ejus , Parænesis  
 exemplum audio ab eo relictum isthic . Le-  
 gas illud velim semel quavis Hebdomadâ ,  
 ut memoriâ semper recente præceptorum  
 in eâ digestorum , ijs in operando diriga-  
 ris . quo te juvandum confido ad rectam  
 ineundam Deo inserviendi rationem . Pro  
 eo quanti referre arbitror ad majus Dei  
 obsequium , exhiberi à te Proëpiscopo  
 summam demissionem & Obedientiam ; im-  
 pero tibi in virtute Sanctæ Obedientiæ , ut  
 hâc istius indicatrice Præcepti Epistolâ vi-  
 sâ , coràm Proëpiscopo positis humi geni-  
 bus procidas , veniamque supplex petas  
 inobedientiarum & culparum quibus ei ha-  
 stenus



Genus molestiam faceffivisti . tum illi ma-  
 num osculaberis , profitens ; te jussu meo  
 id facere . Inde ab illo audies quid ve-  
 lit à te fieri , obedienterque quidquid jus-  
 serit exequèris . Quo autem ista tua cum  
 Proëpiscopo consensus non exigui sit tem-  
 poris ; sed fixa firmaque semper duret : sin-  
 gulis deinceps Hebdomadis eum semel in-  
 vises , osculaberisque manum ejus , demil-  
 sionis pariter & obedientiæ specimen id il-  
 li ac pignus exhibens . Cave autem hoc  
 unquam omittas , etiamsi reluctetur natu-  
 ra , judicioque ac genio tuo proprio vim  
 in eo te facere magnam oporteat . Totum  
 enim id planè sic debet fieri , ut confun-  
 datur malus Dæmon autor discordiarum  
 & inobedienciæ . Diligenter attende ne di-  
 cendo ad populum de Sacro Pulpito per-  
 stringas aut pungas quemquam , ne curio-  
 sas , & speculationis nimis attenuatæ , aut  
 eruditionis ambitiosæ Doctrinas ostentes .  
 Verùm , argutijs & farraginibus istiusmodi  
 omissis , argumenta solida graviter pertra-  
 cta . Peccata in quæ passim multi è po-  
 pulo incurrunt , objurga cum magno zelo  
 Divinæ Gloriæ , sed cum pari semper mo-  
 destiâ . Peccatores ipsos , etiam ut tales  
 palam



palàm agnitos, & latère non curantes, non tamen pro concione reprehendes: sed privatim conventos fraternè monebis. Atque de toto hoc genere sic habe: jucundius mihi fore tantulum à te fructum fieri quantum exprimit hæc lineola — multesima pars versiculi unius, sine tumultu ex cuiusquam offensione nato; quàm tam ingentem, ut ei designando vix sufficiat linea totum versus prælongi, quàm latè patet, spatium exæquans, hoc modo:

---

si magnum illud operæpretium, inter querelas læsos se ferentium plurium, aut etiam unius, strepitu & certaminibus extorquendum est. Et quia certissimè persuasus sum præcipui hanc rem momenti esse; atque adeo hinc pendere spem ac facultatem omnem veri profectus animarum ad Dei Gloriam procurandi, commendo impensè tibi, ut hoc monitum altè defigas in animo, semperque usu teneas; functiones omnes tuas, præsertim sacras, administrans placidè cum amore ac blandâ significatione caritatis, sine impetu incursive iræ ac sonoro conflictu obstantium. De fructu quem



quem per te Deus facit in istâ Civitate scribas mihi velim fusè , singillatim ac minutim , distinctè referens ; quàm bene tibi cum Proëpiscopo , cum reliquis Sacerdotibus conveniat ; ut tu illos observes , ut illi te vicissim ament . denique quæ quantaque tua sit apud populum gratia , an ullo ruore aut querimoniâ cujusquam interpellata . Eas literas Goam mitte . Et si enim vigesimus ab hoc dies meæ hinc profectio constitutus est , dabo tamen in mandatis hujus Collegij Patribus , ut mihi ad Sinas , quò tendo , Epistolas tuas perferendas curent . Ibi eas videndi , & exijs , quæ volo nunciantibus , gaudendi cupidissimus expectabo . Res Iaponicæ valde prosperum , Dei Beneficio , cursum tenent . Ibi remanserunt Pater Cosmus Turrianus & Ioannes Fernandez intenti excolendis ijs qui jam plurimi Christi Religionem susceperunt , quique quotidie suscipiunt . Calent ambo linguam illius Gentis , & strenuo usu Instrumenti tam necessarij fructus longè uberrimos metunt . Navigant illuc hoc anno aliquot Fratres Nostri , adjuturi eos , & participes futuri laborum , supra quàm exprimere scribendo queam , ingentium ,



tium, & sine ullâ comparatione superantium labores utcumque maximos, quos hisce in Partibus cæteri Socij exantlant. Hæc indico tibi, ut continuè Divinam illis opem impetrare studeas, quotidianis tuis Sacrificijs & perpetuis Orationibus. Quando ad hoc Goanum Collegium literas dabis, ne omittas inserere fasciculo Epistolam brevem quidem, sed omnibus infimæ tuæ venerationis & devotissimæ obedientiæ contestationibus insignem, inscriptam Domino Episcopo; in quâ etiam ei rationem reddes eorum quæ isthic agas. Hoc enim illi debetur, tum quia Prælatus Noster est, tum quia summa extat ipsius in nos caritas; & in omnibus quæ potestatis ejus sunt impensè nobis favet. Hanc Epistolam tantâ libertate scripsi tibi, ut homini virtutis & perfectionis non vulgaris, qui mone-ri boni consulat, atque adeò reprehendi utiliter malit, quàm inanibus adulatiunculis lactari, quia sano judicio & gustu, salubria discernit à noxiè dulcibus. Blanditias videlicet & verba ad gratiam composita fueram adhibiturus, si cum homine infirmo ac debili me agere putarem. nunc fiducia roboris & soliditatis tuæ, non dubita-

bita-



bitavi dissimulationem omnem abijcere  
 panderéque tibi sine ambagibus sensus inti-  
 mos meos . quo nomine Deo Grates refe-  
 ras censeo , quòd te talem fecit , cui cre-  
 dam & sine condimento , non imprudente  
 potuerim apponere veritatem . nempe ista  
 tibi sapientia , cujus ad gradum tam sub-  
 limem progressibus longis profecisti , facile  
 inspirat contemptum malè suadarum affen-  
 tationum ; præ quibus objurgari potius ap-  
 petis , quàm à verentibus tuam , ut imbe-  
 cilli ac teneri , offensionem , obnoxie , nec  
 syncerè , collaudari . Pueris hæc aut Novi-  
 tijs convenient . fortibus in Dei militiâ  
 fecerit injuriam , qui parvulorum eos pa-  
 scendos lacte , ac molli nutriciorum Indul-  
 gentiâ confovendos duxerit . non prius  
 mihi credas velim , expedivi calamum ad  
 hæc exaranda tam simpliciter ac nudè  
 quàm Divini Spiritûs imploratâ luce , sen-  
 si ejus impulsum incitantem ad audendum  
 tibi scribere eo stylo quo cum perfectis  
 & inchoantium aut parum provectorum  
 debilitates supergressis , agendum est . Ac  
 quoniam per Dei Misericordiam citò in  
 Gloriâ Paradisi videbimus invicem , ver-  
 bum non addam , postquam te oravero ;  
 ut



NOVARVM EPIST.Lib.5. 481

ut memor ac reputans quanto tui amore,  
cujus testem Deum habeo, has ad te li-  
teras dederim, pari tu eas suavitate  
mutui affectus excipias; illud idem le-  
gendo spectans, quod ego scribendo intue-  
bar, Dei Domini Nostri majorem glo-  
riam, & majus bonum Animæ Tuæ mi-  
hi carissimæ. Vale. Ex hoc Goano Colle-  
gio Sanctæ Fidei, XI. Kalendis Aprilis Anno  
CICIDLII. Hanc Epistolam ostendes Domino  
Proëpiscopo.

Tuus in Christo Frater.

*Franciscus.*

HN

EPI-



P.SIMONI RODERICO SOCIETATIS

IESV IN LVSITANIAM.

*Gratia & Amor IESV Christi Domini Nostri  
ad sit semper nobis auxilio & fa-  
vore . Amen .*

**S**Cripturus mox ad te fusiùs de rebus  
Societatis in his terris nostræ , hanc  
segregatam , & peculiarem paucis absolvam  
Epistolam , cuius argumentum idem , &  
Tabellarius , Andreas Carvallius erit  
Hunc ego perbonum Iuvenem , valetudini  
gratiâ remittendum ad vos censui . Hic  
enim ægrè vitam trahebat , & quâ ætate  
atque indole est , Medici sperabant Pe-  
trij Cæli haustu reparari vires ejus morbo  
prostratas , & in integrum posse restitu-  
De illo hoc peregrè rediens , concordi  
omnium qui hîc sũnt testimonio , compe-  
riebam ; nulli eum nostrorum his in locis  
degentium , dotibus Naturæ , profectibus  
Doctrinæ ac donis Gratiaæ cedere , magnam  
que



que in ejus iuventute spem passim Maiores  
 natu collocant, ob virtutes quas in eo po-  
 fuit Deus Dominus Noster, quasque per  
 suam Misericordiam augebit. Equidem  
 ita esse ego quoque arbitror ut dicunt; &  
 libenter huius spei Te gaudio impertio,  
 optans tecum, vovensque ut crescat in  
 mille millia hic Frater Noster, & Socie-  
 tatem expectato fructu cumulet. Oro er-  
 go Te per Dei Domini Nostri Amorem,  
 atque obsequium, Carissime mi Frater Si-  
 mon, ut Andream Carvallium eam isthuc ca-  
 ritate excipias, quam & ego & ipse spera-  
 vimus excipiendum eum, & recreandum,  
 à Te. Quid in hisce Partibus novi conti-  
 gerit, copiose, ac minutè perscribam ad  
 vos, Deo iuvante, antequam solvam Coci-  
 num versus; quod futurum puto circiter  
 quintumdecimum ab hinc diem. Deus  
 Dominus Noster nos in Paradisi Gloria  
 coniungat; nam quando in hac vita con-  
 gredi coram, & amplexari mutuo possi-  
 mus, equidem non video. Illud pro cer-  
 to habe, dulcissime Frater Simon, inscul-  
 ptam animo penitus meo me quocumque  
 circumferre Imaginem Tui, cuius obiectu  
 Te in spiritu continuè cerno. Iamque il-



lud, quo diù propè impatienter exar-  
te præsentem oculis corporis spectandi, de-  
fiderium fero leviùs, illo me assidue in-  
teriori desiderati Capitis aspectu consolante.  
Vale. Scribebam Goæ vi. Kal. Aprilis  
Anno CIOIOLII.

Tuus in Christo.

*Franciscus.*

EPISTOLA XVI.

PATRI MELCHIORI GONZALEZ

SOC. IESV BAZAINVM.

*Gratia & Amor Domini Nostri IESV Christi  
adsit semper nobis auxilio &  
favore. Amen.*

**A**B homine tibi cognomine, Melchio-  
re Gonzalez, literas tuas accep-  
tuas legi cum non exiguâ voluptate. Vi-  
nam det Tibi Deus Gratiam bonum isthic  
odorem Nostræ Societatis spargendi, quan-  
do tanta extat in nos offensio istius Populi.  
Per



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 485

Per ego te quantum inservire ac gratifica-  
 ri Deo Domino studes, oro & obtestor  
 quàm possum instantissimè, da operam ef-  
 ficacem conciliandis tibi ac Societati homi-  
 nibus, nihil quod tuarum sit partium,  
 quantumvis arduum, in hoc prætermi-  
 tens. Si fueris humilis & prudens, ma-  
 gna me spes tenet, te plurimum, Deo ju-  
 vante, fructum relaturum. Mirto isthuc  
 ad Te Franciscum Henriquez, ut Tanæ com-  
 moretur cum Manuële. Osorius poterit  
 remanere vobiscum, attendendo rebus dome-  
 sticis; & Barretus Scholas literarias haben-  
 do: Te Spiritualibus Ministerijs vacante,  
 conversando cum omni hominum genere,  
 piè ac sanctè, Doctrinam Christianam ex-  
 plicando, concionando. Ac conciones  
 quod attinet, placuit plurimum quod  
 scribis de apparatu, formâ & totâ ratio-  
 ne, quam in ijs tenere instituisti. Insistas  
 viam istam censeo; & quàm frequentissi-  
 mè potes te sic exercita. Spero enim,  
 fiduciâ non defuturi favoris Dei Domini  
 Nostri, Te, si fueris humilis, in magnum  
 Concionatorem evasurum. Franciscum Lo-  
 pez in hoc Collegium destinabis cum pri-  
 mâ nave quæ isthinc solvet. Quæ tibi scri-

HN 3 pto



pto mandavi de modo isthic rem Evangelicam gerendi, fac crebrò relegas. Multa de his alia te docebit ipse usus, & experientia successuum; si fueris humilis & prudens, atque attentè circumspicias quæ occurrunt, considerans & ea comparans cum monitis & mandatis hinc acceptis. Franciscus Henriquez Tanæ, quò mittitur tuæ gubernationi subiectus deget. Ac velim te illi pro imperio mandare, ut diligentissimè caveat à quoquam offendendo, ut se mitem & insigniter patientem in omni occasione præbeat. Aliunde porrò inquirens per fidos exploratores, an justam ille aut alius è nostris, cuiquam illic offensionis ansam offerat. Id si compereris, impigrè occurre opportuno repræsentando remedio. Sic te tibi primùm ipsi, deinde alijs invigilare velim. Quod si quem nostrorum deprehenderis in peccato graviore in publicam offensionem erumpente, ac non sine ratione irritante in nos populum, hunc confestim è Societate dimitte. nam quos dimiseris ego jam nunc pro ritè dimissis habeo. Quoniam tantum confidetur prudentiæ, ut certum habeam, neminem à te nisi justis de causis dimittendum.



dum . Circa reditus annuos istius Collegij , curabis : ut potiùs in ædificationem Spiritualium templorum , quam sensibilibum ac materiariorum impendantur . Ex hoc secundo genere sacrarum Ædium saxo aut ligno excitandarum , in eas tantum pecuniam infumes , quæ prorsùs erunt necessaria , quarumque sine gravissimo incommodo publico , recusari constructio non possit . si quæ ornatis tantum splendidioris aut speciei augustioris obtentu proponuntur , eas ut quibus præverti urgentiores exigat , in commodiora differenda videri tempora , excusa . Quod ergò ex vegetigali abundaverit , Pueris Indigenarum , prout tibi præcepi , in sanâ Doctrinâ & probis moribus educandis absume . Hæc enim spiritualia templa sunt quibus Deus magis honoratur ; siquidem hi Pueri quando in viros adoleverint , bonis exemplis & communicatione Doctrinæ perceptæ Instrumenta Deo erunt rerum ad ejus Gloriam & hominum salutem maximarum . Ante hos dies paucos isthuc misi Paulum Guzaratè , qui in hoc Collegio multis annis institutus est . disertus hic multùm est linguâ populari , & satis à Doctrinâ paratus



tus ad tradenda Christianis Indigenis elementa Fidei . Poterit quin etiam utiliter ad populum dicere , si quod interioris illi eruditionis deest , Nostri , non ita ut ille linguâ vulgari prompti , opportunè suppleant ; digerendis illi argumentis & materiâ subministrandâ concionum . Probo quod scripsisti de censu Collegij ; videri tibi fideliter curandum , ut juxtâ Regis mentem tabulis ejus foundationis significatam , expendantur . Id ego quoque sic omnino volo fieri , tum quia justitiæ officium ita præscribit ; tum ne offendatur populus animadvertens , quod absit , hoc negligi . Postquam tamen omnium isthic Pauperum , juxta diplomatum præscripta regiorum , abundè consultum necessitatibus fuerit , si quid superesset , non est dubium , quin rectè ; ac Rege non invito , conferretur ad juvandos quos hîc habemus Pauperes ; præsertim isthic natos , & olim utiles futuros , ut in Paulo Guzaratè nunc probatur . Quare si è vestiario Inopibus isthic è Collegij vestigali distribui quotannis solito , quædam panni volumina , usui præsentium redundarent , ea posses mittere huc ad nos ( si tamen sine querelâ vel  
offen-



offensione cujusquam id fiat. ) Habemus enim hîc Seminarium Alumnorum quibus vestiendis peropportunè advenirent. cum eo tamen, ut dixi, ut nihil quidquam subtrahatur omnino ulli egenorum Bazai- nensium, quibus primatus in usu istius re- giæ gratiæ de jure competit. quocirca, vide, ut plenè illic priùs cunctorum vo- tis, ad conscientiæ nostræ exonerationem, & Dei majus obsequium, satisfiat. Hoc expleto, si nihil inde, quod huc asper- gatur superest, nos isto subsidio, æquo scilicet animo carebimus. Tu de cætere totum te impende continuo exercitio di- cendi ad concionem, audiendi Confessio- nes, visendi ac solandi ægrotos in Noso- comio, vinctos in carcere, ac similia, operum caritatis in proximos; promptè ac- currendo ad cuncta ejus generis officia, quoties te invitabunt isti propriè Curæ de- diti Moderatores Sodalitij Misericordiæ. In talibus si strenuè cum Caritate & Hu- militate ministraveris, nanciscêris, Deo dante, Gratiam & auctoritatem apud Civi- tatem; & quamlibet parùm disertus sis, illâ ipsâ tamen, quantulamcumque poteris exere- re, zeli & modestiæ comitatu corroboratâ  
dicen-



dicendi facultate, in populo motus ingentes ciebis animorum, & fructum colliges uberrimum. Tantum vide, (quod iterum etiam atque etiam commendo) ut arctam cum Proëpiscopo consensionem & amicitiam teneas, ut cum alijs Sacerdotibus qui isthic degunt, cum Præfecto ac Magistratibus Regijsque Ministris; denique cum universo Populo, prudenter, humaniter, demissè, benevolè te geras. Mihi credes: spes ampli successus in perorando è sacro pulpito, non est sita in exquisitione Doctrinæ, in elocutionis elegantia, in pompâ & specioso choragio facundiæ. Caput & compendium artis est ijs probari & placere quos alloquere, & prius parasse claves cordium quàm aurium aditum tentes. Persuadebis quod voles, si te qui audiunt amaverint, & facilè plurimos Deo conciliabis, si à te neminem abalienaveris. Proximo Septembri, quo tempore spero me futurum Malacæ, fac illic mihi tunc occurrant plenæ ac copiosæ tuæ literæ, quibus me doceas distinctè ac minutim de fructu tuorum ministeriorum. Scribes etiam, multo scilicet crebrius, pro viciniâ & copiâ quotidianâ huc inde commean-



NOVARVM EPIST. Lib. 5. 491

meantium, Patribus hujusce Collegij.  
Deus Dominus Noster nos jungat in  
Gloriâ Paradisi. Amen. Scriebam Goæ ho-  
diè III. Nonas Aprilis AN. CXCICLII.

Tuus in Christo Frater.

*Franciscus.*



S. FRAN-